CATULLI,
TIBULLI,
AC
PROPERTII
CARMINA PURGATIORA.

C. VALERII CATULLI
VERONENSIS,
ALBII TIBULLI
EQUITIS ROMANI,
A C
SEXT. AUREL. PROPERTII
UMBRI

CARMINA PURGATIORA

Adnotationibus illustrata

AD USUM

NOBILIUM ADOLESCENTIUM COLLEGII NEAPOLITANI SOCIETATIS JESU.

NEAPOLI CIↃ. IↃ. CC. LXV.
TYPIS JANUARII MIGLIACJ
Expensis Josephi Stasi

SUPERIORUM FACULTATE.

[illegible]

LECTORI BENEVOLO

ὑγιαίνειν ϗ εὐπράττειν.

PAucis in limine te volo, Lector humanissime, ut, quæ mihi fuerit mens, quæque ratio inita in recudendis hisce repurgandisque Catulli, Tibulli, ac Propertii carminibus, tibi aperiam. Non cultioris litteraturæ viris hæc sane proponenda suscepi, sed pueris Poeticæ alumnis. Itaque non tam summorum hominum eruditioni ingenioque factum satis, quam & musis æque adolescentium & moribus consultum vo-

lui.

lui. Id ut præstarem, duo mihi cavenda duxi: alterum, ne quid turpe usquam istorum auribus accideret, mentique, ut fit, insideret; alterum, ne adeo mutila ac manca proferrem carmina optimorum Vatum, ut, quemadmodum in plerisque editionibus ejusmodi contingit, & pars maxima desecta interiret; & distractæ sæpe ac truncæ carminum particulæ vim sententiæ omnem occulerent, leporemque deformarent.

Eam ob rem I. immutanda quidem subinde fuere verba aliquot: at ea tamen lege, & cautione, ut quæ vox subrogata est, ad prioris normam numerumque omnino accederet.

II. Eodem consilio in exponendis carminum argumentis illud curavi, ut, si quid turpiculum ac fœdum suboleret poema; id omne de industria dissimularetur, aliamque prorsus sententiam indueret ac præferret. III.

III. Quum vero aliqua ſint carmina, quorum ſeries indivulſa bonorum aures lædant; ea, ne perirent omnino, in plures ſæpe diſſecui partes; atque, ut par erat, honeſtius, ſuumque ſingulis argumentum præfixi, verſuum ordine, ſicubi opus fuit, immutato.

IV. In adnotationibus ſubjiciendis brevitati quidem ſtudui, eaſque ſelegi, quæ non magna ac mira portenderent, ſed ſententiam apertius explicarent. Ubi vero reconditæ abſtruſioreſque res ſe offerebant; eas accuratiore ordine diſpoſui, enucleavi, ac pluribus voculis phraſibuſque etiam italicis ſum interpretatus.

V. Pleraque interim me debere fateor clariſſimis viris Joſepho Scaligero, Marco Antonio Mureto, Jano Broukhuſio, ac potiſſimum Johanni Antonio Vulpio, cujus lectionibus inhæſi: curavi enim, ut nova hæc editio Vulpianæ, quam om-

omnes merito ac jure suspiciunt, respondeat.

VI. Atque hanc operam Catulli, & Tibulli carminibus quidem impendi; quum Propertio admovere manum in præsens minime potuerim: tum quod nimis me urgebat Typographus; tum quod mei arbitrii non sum, ut aliquot dies summo illi Vati solidos adjudicarem. Quum mihi primum per tempus licebit, eam quoque assumti officii partem implere conabor, ac fidem meam omnino liberare. Interim Propertium adnexui, qualis nuper, si pauca excipias, Mediolani prodiit.

Huic vero labori meo atque industriæ succensebit, opinor, nemo unus, qui apud se perpendat, quantopere juventuti intersit, ut & Vates hosce optimos habeat præ manibus, & nullam inde suis moribus labem inspergat. Vale.

C. VALERII CATULLI VITA

EX CL. V. PETRO CRINITO.

C. Valerius Catullus Veronæ natus est, quo tempore Terentius Varro in urbe claruit. A Quidam C. Sallustium Crispum Catullo supparem faciunt. A Catulli autem natalibus ad Pub. Virgilium paullo minus quam duodeviginti anni connumerantur, si quorundam annales sequimur. Quando & illud pro comperto habetur, carmen de passere Lesbiæ ad Virgilium fuisse missum:

SIC forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Ceterum non humili loco, aut obscuro natus est: siquidem ejus Parens, auctore Suetonio, Julii Cæsaris hospitio familiariter usus est. Valerius autem Catullus primo traditur a Manlio Romam deductus, quum adhuc in tenera ætate ageret. Paullo mox ingenii facilitate, & doctrina adeo Romæ acceptus, atque civibus gratus fuit, ut M. T. Ciceronis patrocinium meruerit, quod ipsum eleganti epigrammate ingenue testatus est, quo gratias Ciceroni patrono egit:

DISERTISSIME Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium Poeta.
Tanto pessimus omnium poeta;
Quanto tu optimus omnium patronus.

Manlium vero, & ejus nuptias magno studio celebravit, cum quo se excusat, parum sibi licere veteres

amores, ut antea, decantare, quoniam Fratrem amiserit, ex cujus interitu studium, inquit, suum scribendi carminis a se abjecisse: sic enim ad Manlium:]

SED tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
Neu me odisse putes hospitis officium;
Accipe, queis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Jucundum quum ætas florida ver ageret;
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit. O misero Frater adempte mihi!
Tu mea, tu moriens fregisti commoda Frater:
Tecum una tota est nostra sepulta domus.

Inter ceteros amicos Furium, & Aurelium magnopere dilexit. Cinnam quoque, Cornificium, Fabullum, & Verannium, quem alicubi & Verannio'um blanditer appellat. Puellam præterea Hypsitillam concivem suam, & Clodiam amavit, quam ficto nomine Lesbiam dicit: sicuti Madaurensis Apuleius testatur in oratione ad Claudium Maximum. Eruditorum omnium consensu Docti cognomen accepit: ita enim peculiari epitheto Catullus censetur; atque hunc quidem Ovidius Virgilianæ majestati opponit: tantum nominis apud Eruditos, ac laudis est consecutus. Sed & versus ipsius, quamquam ut duriusculi notantur, quod uterque Plinius afferit; tamen perelegantes habiti sunt, ac sectatores complures in his invenit, sicuti Pompejum Saturninum, & Sentium Augurem, qui Catulli epigrammata, ac Licinii mira diligentia, ac studio sunt æmulati, ut alias diximus. Val. Martialis Catullum sibi ipsi audacter præponit: sic enim ad Macrum:

NEC multos mihi præferas poetas,
Uno sed tibi sum minor Catullo.

Opus suum ad Cornelium Nepotem misit, virum doctrina, & rerum cognitione egregium. Dividitur autem in li-

libros tres, ut primus Lyricos, secundus Heroicos, tertius Elegiacos, & Epigrammata contineat. Ad hunc enim modum ordinem fere meliorem custodiemus. Elegiam de coma Berenices ex poeta Callimacho in Latinos numeros convertit, eamque ad Ortalum amicum misit, quæ in Elegiarum adhuc libro legitur. Idem Val. Catullus a Fabio Quintiliano, & Diomede inter Jambicos reponitur; ab aliis inter Lyricos. In Atticis vero Noctibus, ut poeta elegantissimus, ac venustissimus a Gellio laudatur. Neque illud omittendum est, fuisse ab ipso Catullo alia complura composita, quæ vitio longæ vetustatis desiderantur. C. autem Plinius lib. hist. nat. 38. ad Cæsarem Vespasianum, quum de Magia disserit, amatorium de incantamentis carmen a Catullo editum refert. *Hinc Theocriti*, inquit, *apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio*. Sed carmen Ithyphallicum scripsit, ut est optimus testis Maurus Terentianus ad Novatemum, qui hos Catulli versiculos citat.

ET ferme modus hic datur a plerisque Priapo.
Inter quos cecinit carmen quoque tale Catullus.
Hunc tibi lucum dedico, consecroque, Priape:
Nam te precipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris,

Cæsarem maxime Julium, Mamurram, & Nonium Strumam jambicis nominatim proscidit ex veterum consuetudine, ut Lucilius, ac Nævius. Qua in re dignum illud memoria est, quod ipse Cæsar, quum perpetua sibi stigmata (ut ait Suetonius) imposita videret ex Catulliano carmine de Mamurra; eadem tamen die poetam ipsum cœnæ adhibuit, simulque hospitio suo non secus atque antea uti eum permisit. Mortuus Romæ est juvenili admodum ætate, quum annum circiter trigesimum ageret, ut quidam putarunt: quo tempore Publius Virgilius Cremonæ studiis operam daret. Vulgatum quoque de Val. Catullo illud:

TANTUM parva suo debet Verona Catullo,
Quantum magna suo Mantua Virgilio.

C. VALERII CATULLI VERONENSIS

LYRICORUM LIBER I.

AD *CORNELIUM NEPOTEM* LIBER.

I.

LIBELLUM Cornelio Nepoti dedicat Catullus, quem Cornelium a breviloquentia commendat: Minervamque deam invocat, ut opus æternet.

Phaleucium eſt, a Phalæco inventore: habetque in prima ſede ſpondæum, vel jambum, vel choreum: deinde dactylum, tum tres choreos. Dictum quoque Hendecaſyllabum, quod undecim ſyllabis conſtet.

QUoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas
Jam tum, quum auſus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Juppiter! & laborioſis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli, &
Qualecumque: quod, o patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne ſæclo.

ADNOTATIONES.

Quoi) *cui.*
Namque) *Cauſſa dedicationis; nam Cornelius de Ca-*

Catullianis musis magnifice sentiebat.

Tribus chartis) *Chartis, libris: synecdoche. Tribus; nam Carnelius Nepos tribus admodum libris Chronicon suum, & historias omnes perstrinxerat.*

Patroa) *Patrous, a, um, graece* πατρῷος, ῴα, ῷον, *idem ac* paternus, & patrius. *Vox haec latinitate donata est auctore Catullo. Utraque significatione accepta Minervae convenit: tum quod e Jovis cerebro nata dicitur; tum quod patriis Diis adscripta.*

JACOBI BASSANI SOC. JESU INTERPRETATIO.

CUI dono il novo libricciuol piacevole
Testè pulito con l'asciutta pomice?
Cornelio, a te: che ben eri tu solito
Pensar, mie baje alcuna cosa fossero,
Fin d'allor, quando osasti uno tra gl'Itali
Ogni etade spiegar pur in tre pagine,
Dotte, Giove immortal! e fatichevoli.
Perchè te'il librettin, che ch'egli siasi,
E qualunque. Il qual tu sovrana Pallade
Deh fa sì, che ci viva oltre ad un secolo.

II.

VOLUPTATEM memorat Vates, quam e Passere capiebat Lesbia. Quicum si ipse posset ludere; rem tam sibi jucundam fore asserit, quam gratum fuit malum aureum puellae Atalantae.

AD PASSEREM LESBIAE.

PASSER deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare appetenti,
Et acres solet incitare morsus;
Quum Desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari.
Ut solatiolum sui doloris,
Credunt, quum gravis adquiescit ardor.
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi levare curas;

Tam gratum mihi, quam ferunt Puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam solüit diu ligatum.

ADNOTATIONES.

Quicum) *Quocum.*
Quoi) *Cui.*
Primum digitum) *Summam digiti partem.*
Appetenti) *Apprehendere cupienti.*
Et acres &c.] *Italice.* Suol ella stuzzicare il ferocetto morso.
Desiderio meo nitenti) *Puellæ cultæ, & eleganti. Desiderium pro puella. Metonymia.*
Ut Solatiolum &c.] *Italis est:* Come altri crede piccol sollievo del suo cordoglio, quando l'asprezza del dolore comincia a calmarsi.
Tecum ludere) *Utinam possem tecum ludere, o Passer.*
Tam gratum mihi] *Supple esset.*
Puellæ) *Atalantæ. Ejus fuit indolis Atalanta, ut ad cursus certamen provocatos sponsos, devictosque morti devoveret. Ad fraudes itaque sese convertit Hippomenes: acceptisque a Venere tribus malis aureis nesciam rei Puellam cursu lacessit. Tum callide ex intervallo singula jacit poma: quæ, dum cupide legit Atalanta, morasque nectit, devicta certamine Hippomeni cogitur nubere. Ovid X. Met. sub fin.*
Pernici) *celeri.*
Zonam soluit) *Quod malum*; pomo, *caussa fuit, ut Hippomeni nuberet. Quæ enim nubebat, zonam, quam gestabant virgines, deponebat.*

VE-

III.

VENERES, atque amores invocat Vates, ut immaturum Passeris funus celebrent. Duas affert caussas: tum quod Lesbia ipsum amaverit: tum quod ipse elegans fuerit, ac plenus gratiarum. Quare Orci tenebras diris persequitur.

LUCTUS IN MORTE PASSERIS.

LUGETE o veneres, cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum,
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! o miselle passer!
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

BASSANIANA EXPLANATIO.

PIANGETE o veneri,
Piangete amori
E voi più teneri
Leggiadri cori.
Il Passerino
Di Lesbia un rio
Fatal destino
Lo si rapío.
Augellin raro,
Delizie sue,
Che a lei più caro
De gli occhi fue.
Chè qual infante
Amabil prole
La madre amante
Conoscer suole;
Tal dolce, ameno
Lei conoscea.
Nè dal suo seno
Mai si togliea.

Ma saltellando
Gia per la gonna
Sempre piando
Solo a Madonna.
Or va infelice
Pe 'l cammin bruno
Là, onde si dice
Non torni alcuno.
Ah! male bolge
Valli d' Averno,
Cui tutte involge
Il bujo eterno;
Voi mal n' abbiate,
Che 'nvidiose
Tutte ingojate
Le belle cose,
Passer sì bello
Tolto 'l m' avete:
Oh l' atto fello,
Di che ree siete.
Ed oh sciaurato
Te, per cui s' ange
Passare amato
Lesbia, e ti piange:
Per te le avviene,
Che tumidetti
Rossicci tiene
Mesta gli occhietti.

IIII.

PHASELUM, quo ex Bithynia in patriam revectus fuerat, commendat Vates, tum a celeritate, tum a nobilis silvæ origine, tum denique a felicitate cursus: eumque Castoris ac Pollucis numini consecrat.
Carmen senarium est e meris jambis.

PHASELI LAUS, ET DEDICATIO

PHASELUS ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum:
Ubi iste post phaselus, antea fuit
Comata silva: nam Cytorio in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:
Tuo imbuisse palmulas in æquore:

Et

Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse, læva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem.
Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, quum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris.

ADNOTATIONES.

Celerrimus) *Se fuisse celerrimum. Græca constructio.*

Neque nequisse) *Et potuisse.*

Trabis] *Navis, per synecdochen.*

Palmulis] *Remis.*

Negat negare) *Asserit, id negare non posse.*

Rhodumve) *Nobilem ob Colossum, atque ob mercaturas.*

Thraciam) *Horridam & a frigore, & ab incolarum immanitate.*

Propontida) *Propontis mare est Hellespontum inter, Bosphorumque Thracium. In voce* Propontida *extremam syllabam propter priores dictionis, quæ subsequuntur, litteras, produxit Vates Græcorum more. Sic infra: Impotentia freta.*

Ponticum sinum) *Euxinum scilicet.*

Ubi iste) *Laus a generis nobilitate.*

Cytorio) *Significat phaselum compactum esse ex arboribus e monte Cytoro cæsis. Hic autem in Paphlagonia est apud Amastrin urbem, inque eo plurima buxus nascitur.*

Loquente &c. *Italice;* Rendè talora il mormorio de' venti raccolto tra le sue loquaci frondi.

Ultima ex origine) *A prima origine.*

Impotentia] *Æstuosa.*

Juppiter) *Ventus.*

In pedem) *Pes funiculum est ad imum veli angulum, quo ad latera navis religato, velum expanditur. Is duplex est, dexter, ac sinister, pro eo ut ventus vel ad dexteram, vel ad sinistram afflet. Atque*

hinc pedem facere, *est cum dimidio vento navigare:* Andare a poggio, o ad orza. *Ventum autem* incidere in utrumque pedem, *est ventum ingruere in dexterum scilicet, ac sinistrum:* Andare in Poppa.

Neque ulla) *Postrema Phaseli commendatio, quod cursum confecerit, nulla ut vota sibi nuncupanda Diis fuerint; quod prodigii instar videretur.*

Lacum) *Benacum, in Veronensi agro.* Lago di Garda.

Senet) *senescit.*

Gemelle) *Phaseli consecratio. Castor, & Pollux in Geminorum sidus mutati putabantur navigantibus maxime propitii.*

V.

DE VERANNII *ex Hispania reditione & sibi, & ipsi gratulatur.*

AD VERANNIUM.

VERANNI, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis.
Venistine domum ad tuos penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti? O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Iberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus: applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O, quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est, beatiusve?

ADNOTATIONES.

Antistans &c.) *Italice reddo:* Il primo tralle migliaja, che ho d'amici.

E FO-

VI.

EFORO ad mulierem quamdam visendam a Varo amico forte deducitur Catullus. Illa vero post multa verba de Bithynia (ex qua haud ita pridem Catullus redierat ejusque Magistratibus habita, Catullum malitiose rogavit, ut lecticarios, quos ibi emerat, commodaret. At Catullus, ut aliquid lucri ea in Provincia fecisse videretur, primo inficias non ivit, se ad lecticam servos paravisse. Deinde, quum protervius instaret mulier, non se, sed C. Cinnam lecticarios habere dixit. Atque ita importunam petitionem elusit. Id omne venustissimo quodam dialogi genere exponit Vates.

DE QUADAM.

VARUS me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodo se haberet,
Et quantum mihi profuisset ære.
Respondi, id quod erat: mihi nec ipsis,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret.
Præsertim, quibus esset inficetus
Prætor, non facerent pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines. Ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorum,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat, nec hic nec illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit sagaciorem,
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paullum
Istos commoda, nam volo ad Serapin

Deferri. Mane me, inquii puellæ:
Iſtud, quod modo dixeram me habere:
Fugit me ratio; meus ſodalis
Cinna eſt Cajus, is ſibi paravit.
Verumne illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu inſulſa male, & moleſta vivis,
Per quam non licet eſſe negligentem.

ADNOTATIONES.

Suos Amores) *Amicam*.

Et quantum mihi) *Ecquid mihi obveniſſet ex Bithynia? Comites Prætorum geminum lucrum in Provinciis percipiebant. Alterum ex pecunia, quam iis pendebat Magiſtratus, quod* lucellum *vocabatur. Alterum vero ex mercatura, quam iis fortaſſe faciebant: quod* æs natum *inferius dicitur*.

Nec Prætoribus) *Scilicet Prætorianis*. Commenſali del Pretore. *Prætoriani dicebantur quoque nobiles ii adoleſcentes, qui ſua ſponte cum Prætoribus exibant eam ob cauſſam, ut longo rerum uſu peritiores domum regrederentur: atque hac jocoſe Prætores appellat Catullus, quod quotidiani convictores Prætoris eſſent*.

Cur quiſquam: *Cauſſæ non eſt, cur aut mihi, aut Prætorianis, aut cohorti ad victum, cultumque melius ſit. Elegantiores quippe homines odoratis unguentis imbuere caput ſolebant*.

Non facerent) *Præſertim, inquit, Provinciales, quibus eſſet Prætor homo nihili; iis nos pili non facerent*.

Natum dicitur) *Pecunia, quam adquiſiiſſe diceri negotiatione ſua*.

Lecticam) *Lectica cathedra erat, qua ferebantur divitiores: inque ea pulvinar, ac lectus*.

Parare rectos) *Emere proceros, ac præſtanti corpore*.

At mi nullus) *At ego, inquit, quamquam jactaſſem me puellæ; tamen illud falſo dixeram, me illos homines comparaſſe*.

Grabati) *Grabatus lectus erat portatilis. Fere pro lecto mendicorum accipiebatur*.

Serapin) *Serapis Ægyptiorum deus, cujus templum Romanis haud licuit intra Urbem habere*.

Ma-

Mane) *E correpto, ab antiquo mano, is.*

Fugit me ratio &c.] *Italice:* Non avea fatto bene i conti. Cajo Cinno è mio camerata. Egli è desso, che se gli avea comperati.

Quam mihi pararim) *Quam si ipsemet mea eos pecunia emissem.*

VII.

PER FURIUM, *atque Aurelium, a quibus ita se amari asserit, ut eos longum iter sua caussa suscepturos putet, quasi nuntium remittit Lesbiæ.*

Ode Sapphica, habetque choreum, spondæum, dactylum, tum duos choreos. At Catullus secundæ sedi choreum quoque apposuit. Tertio cuique versui subnectitur Adonius, constans dactylo, ac spondæo.

AD FURIUM, ET AURELIUM.

FURI, & Aureli, comites Catulli:
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda:
Sive in Hircanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive qua septemgeminus colorat
Æquora Nilus:
Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monumenta Magni,
Gallicum Rhenum, horribilesque, ultimosque Britannos.
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cælitum, tentare simul parati,
Pauca nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta:
Nec meum respectet, ut ante, amorem:
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

ADNOTATIONES.

Ut) *Qua.*
Molles) *Ob cæli temperiem.*
Sacas) *Sacæ Scythiæ populi.*
Septemgeminus) *Qui septem ostiis in mare se exonerat.*
Colorat) *Limo, quod vehit, deturpat.*
Monumenta] *Tropæa.*
Horribilesque] *Erant quippe hospitibus feri. Enclitica* que *græce non eliditur.*
Ultimos) *Ultimi terræ populi tunc temporis censebantur.*
Prati ultimi flos) *Italis est.* Fior nato alla sponda del campo.

VIII.

AD ASINIUM Pollionis Fratrem, ut remittat linteum, quod subripuerat, peracta jam cœna. Sin autem ipsum mordacioribus hendecasyllabis persequetur, quum sudarium, Verannii, ac Fabulli donum, sibi carissimum esset.

AD ASINIUM.

MARRUCCINE Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco, atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res, & invenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, & facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Exspecta, aut mihi linteum remitte:
Quod me non movet æstimatione,
Verum est μνημόσυνον mei sodalis.
Nam sudaria Sætabe ex Ibera
Miserunt mihi muneri Fabullus,

Et

Et Verannius. Hæc amem necesse est,
Ut Veranniolum meum, & Fabullum.

ADNOTATIONES.

Hoc falsum &c.] tu la credi uno scherzo, una galanteria. Non l'intendi scempiato che sei, ella è cosa quanto può farsi sozza, ed incivile. *Quamvis pro quantumvis.*

Mutari) *Ait, cupere se furta tua vel talento redimere.*

Quare aut &c.) *Italice*. Perlochè o ti aspetta una tempesta, un turbine d'endecasillabi.

Μνημόσυνον) *Monumentum, seu res memoriæ caussa donata*. Riccordo.

Sætabe) *Sætabis fuit oppidum Hispaniæ prope Sucronem amnem, unde linum laudatissimum.*

VIII.

FABULLUM ad cœnam invitat Vates ea lege, ut Fabullus quidem cœnam secum afferat; ipse vero nihil suppeditet præter unguentum.

AD FABULLUM.

COENABIS bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi dii favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cœnam, non sine candido sodali,
Et vino, & sale, & omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cœnabis bene; nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores;
Seu quid suavius, elegantiusve est.
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt veneres, cupidinesque:
Quod tu quum olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

ADNOTATIONES.

Cœnabis) *Veteres floribus redimiti, unguentisque deli-*

dibuti cœnitabant, ubi ſe liberalius invitare decrevisſent: idque tum voluptatis gratia, tum quod crederent, odoramentis ebrietatem impediri.

Sale) *facetiis.*

Sacculus aranearum) *Sacculus tui Catulli inanis eſt.*

Quod tu quum olfacies) *Huc facit illud Platonis diſtichon, quo, quum puerum ſuum, cui nomen erat Stella, de nocte in Cœlum ſuſpicientem videret; ipſeſe Cœlum fieri optat, ut pluribus eum oculis obtueri queat.*

ΑΣΤΕΡΑΣ εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμός. εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

STELLA meus ſtellas dum ſuſpicis; ipſe utinam ſim
Cœlum, oculis ut te pluribus aſpiciam.

X.

QUERITUR venuſte de Calvo Licinio Oratore, qui dono miſerat quædam ineptorum poetarum carmina, quæ Catullo aut ſtomachum, aut riſum moverent. Tum jocoſe ſe Calvo par pari redditurum, ac viciſſim quaſi ſtruem quamdam peſſimorum poetarum miſſurum minitatur.

AD CALVUM LICINIUM ORATOREM.

NI te plus oculis meis amarem,
Jucundiſſime Calve, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve ſum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Iſti dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi miſit impiorum.
Quod ſi, ut ſuſpicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator;
Non eſt mi male, ſed bene, ac beate,
Quod non diſpereunt tui labores.
Dii magni, horribilem, & ſacrum libellum!
Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſti, continuo ut die periret
Saturnalibus, optimo dierum.

Non

Non, non hoc tibi, falfe, fic abibit.
Nam fi luxerit, ad librariorum
Curram fcrinia: Cæfios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his fuppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tuliftis,
Sæcli incommoda, peffimi poetæ.

ADNOTATIONES.

Odio Vatiniano) *Quo fcilicet Populus Romanus Vatinium perfecutus eft. Eo tamen libentius fcribit Catullus, quod Vatinium Calvus ipfe acerbiffimis orationibus infectatus erat.*

Perderes] *Italice*. Mi aveffi ad affaffinare, a ruinare.

Tantum impiorum) *Tantas res impias*.

Litterator) *Grammaticus, fcilicet Poetarum interpres*.

Non eft mi male &c.) *Italice*. Io non prendo la cofa in male, ma affai in bene, pocihè le tue fatiche non reftano fenza mercede. *Ironia*.

Mifti) *Mififti*.

Saturnalibus] *Is erat dies ante XIII. Kal. Januarias, quem Veteres maxima celebrabant hilaritate*.

Non, non hoc tibi &c.) *Italice:* No il mio faccentello: per quefta cella non la pafferai così.

Si luxerit) *Ubi dies apparere cœperit*.

Cæfios, Aquinos, Suffenum) *Poetas infigniter malos*.

Omnia colligam venena] *Italice:* E tutta la pefte, tutto il morbo di tai Poeti.

CO-

XI.

COLONIAM alloquitur; cui ludi in proximo ponte cari essent, nisi pons ita parum firmus foret, ut assultibus, pedumque concussione facile posset ruere. Itaque Vates lepide illi optat pontem firmissimum, dummodo quemdam Municipem suum, hominem stupidissimum, ex eo det præcipitem.

Carmen Priapeum, seu Angelicum, ex Heroico quodammodo effictum. Sex constat pedibus: choreo vel spondæo, dactylo, cretico, iterum choreo, spondæove, iterum dactylo, postremum choreo. In tertiam sedem varius dactylum recipit.

AD COLONIAM.

O COLONIA, quæ cupis ponte ludere ligneo,
Et salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli assulitantis, irredivivus
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto.
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quemdam municipem de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedesque:
Verum totius ut lacus, putidæque paludis
Lividissima, maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Ipse quis sit, utrum sit, an nôn sit, id quoque nescit.
Nunc cum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere cæno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

ADNOTATIONES.

Colonia] *pro Coloniæ accolis. Metonymia. Fortasse oppidum erat haud procul Verona,*

Et salire paratum habes) *Et est tibi paratum in eo salire: vel Habes paratum pontem, in quo salias.*

Ir-

Irredivivus) *Futurum itredivivum dicit pontem, quod prolapsus instaurari minime posset.*
Assulitantis) *Assulitantis.* Saltellante, traballante.
Sic tibi) *Eiusmodi obsecrationibus utimur, quum aliquid enixe petimus.*
Ex tua libidine) *Arbitratu tuo.*
In quo vel Salisubsuli) *Scilicet, ita firmus, ut possit Salios Martis sacra peragentes sustinere. Salisubsuli ita dicti, quod, quum Ancilia, quæ in Martis æde asservabantur, quotannis mense Martio per urbem circumferrent; magnis tripudiis, immodicisque assultibus ad summam usque corporum defatigationem subsilirent.*
Ut) *qua parte.*
Stupor) *pro homine stupido. Metonymia.*
Pote) *Pro* potest: *e producto ob duplices consonante sequentis dictionis.*
Veternum) *Veternus, i,* letargo.
Supinum animum) *Torpidum animum.*
Ferream soleam) *Italice:* Il ferro de' piedi.

ADMONITIO.

Tria, quæ sequuntur Carmina, eruditi homines Catullo tribuunt.

XII.

LUCUM Priapo, hortorum Deo, dedicat, sacratque: Carmen Angelicum, seu Priapeum.

AD HORTORUM DEUM.

HUNC lucum tibi dedico, consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape:
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

ADNOTATIONES.

Priape) *Priapus Bacchi & Veneris filius, ortus Lampsaci in Hellesponto.*
Ostreosior) *Ostreis abundatior.*

QUUM

Caricisque maniplis) *Carex, icis*, carice, *genus herbæ*.
Magis & magis ut beata quotannis) *Subaudi sit*. *Italice*: acciocchè ad ogni anno più e più frutti.
Primitu] *Primitus*. *Apocope*.

XIIII.

PRIAPUS in stipite aridæ populi insculptus per prosopopœiam affirmat, se agrum, villam, atque hortum tueri: & quæ sibi afferri solent, exponit. Demum Viatorem monet, ut se vereatur. Jambicum Senarium.

HORTORUM DEUS.

EGO hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc sinistra, tute quem vides
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca duro oliva frigore,
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram:
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem.
Proin, viator, hunc Deum vereberis.
Manumque sorsum habebis: hoc tibi expedit.

ADNOTATIONES.

Sinistra) *Rectus est casus, & epithetum populi, seu statuæ Priapi populeæ*.
Tute) *Tuipse*.
Tuor) *Tueor*.
Adulta) *Distenta*.
Tenerque) *Tener pro tenera. Sic Veteres*.
Deûm) *Deorum*.
Manusque &c.) *Italice*. Tienti le mani a casa.

SUUM

XV.

SUUM cuique pulcrum: idque Suffeni poetæ pessimi exemplo commonstrat. Is enim numquam sibi magis satisfaciebat, quam quum versus conderet: quos tamen nemo unus erat, qui non improbaret.

Scazon est, seu Choliambus. Quinta sede jambum, sesta spondeum habet. Scazontis inventor Hipponax.

AD VARUM.

SUFFENUS iste, vare, quem probe nosti,
Homo est venustus, & dicax, & urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia, aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata: chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc quum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poemata attigit: neque idem umquam
Æque est beatus, ac poema quum scribit.
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error.
Sed non videmus, manticæ quid in tergo est.

ADNOTATIONES.

Palimpsesto) *Palimpsestus charta erat deletitia, in qua quid scriberetur, abradi poterat.*

Umbilici) *Umbilicus erant ossea, eburnea, vel lignea ornamenta e medio tegumento extantia, quæ absolutis voluminibus addebantur.* Fregi.

Lora) *Ligamenta*. Cordoncini.

Mem-

Membrana) *Operimentum*. Coverta.

Tantum abhorret) Tant'è diverso da quel di prima.

Inficetior) *Italis est* : Più sgraziato, svenevole, scipito.

Suffenum) *Imitatorem Suffeni*.

Sed non videmus) *Binas habemus ex Æsopo manticas, quarum altera ante pectus ; a tergo altera pendet. In eam aliena vitia : in hanc vero nostra conjicimus. Hinc adagium: Homines non vident, quod in tergo est*.

XVI.

UT SUMMAM Furii paupertatem insectetur, ea quoque ipsi deesse dicit, quæ usum habent nullum. Tum a contrario, ea ipsum habere contendit, quæ sibi ne sint quisque vellet. Post ironice Furium monet, ut, quum dives jam satis sit, largiores opes a Diis precari mittat. Scazon.

AD FURIUM

FURI, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum est & pater, & noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulcre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulcre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magnis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.
Quare non tibi sit bene, ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Muccusque, & mala pituita nasi.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quæ soles precari

Gen

Centum, desine: nam sat es beatus.

ADNOTATIONES.

Et cum conjuge lignea parentis) *Scilicet cum noverca*. La passi pur bene con quel palo secco di tua madrigna.

Sole &c.) *Hisce tribus hominum corpora avidissima fiunt. Synecdoche.*

Sestertia) *Sestertia n. g., & Sestertii m g. distinguuntur: nam singula sestertia valent mille sestertiis. Centum hic sestertia sunt centies mille sestertii.*

XVII.

THALLI rapacitatem persequitur, eumque monet; ut. quæ subripuerat, remittat. Si secus fecerit; turpiter vapulabit.

Jambicum est, ad septimam quamque sedem amphibrachyo adjecto.

AD THALLUM.

PROTERVE Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla:
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,
Quum de via mulier alites ostendit oscitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque sætabum, catagraphonque linon,
Inepte: quæ palam soles habere, tamquam avita:
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latusculum, manusque mollicellas
Illusa turpiter tibi flagella conscribillent:
Et insolenter æstues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari, vasaniente vento.

ADNOTATIONES.

Imulà oricillà) *Infima auriculæ parte, quæ teneritate præstat.*

De via mulier.] *Idest Saga. Ex eo, quod fulicas in litus ejectas sagæ videant, tempestatem præsentiant.*

tiunt. Quas aves oscitantes *dicit Vates, quod rei nescia ad litus ferantur*

Catagraphonque linon] *Linum variis intextum figuris*. Ricamato.

Reglutina) *Reglutinare proprie est, Dissolvere, quod glutinatum erat*. Discollare. *Hic metaphorice accipitur*.

Conscribillent) *Quasi graphio lacerent*.

Latusculum) *Parvum latus*.

Illusa) *Derisa, Puero minabatur verbera, quia is deridebat*.

Insolenter æstues) *Insuetate huc illuc agaris*.

XVIII.

URGET Furii paupertatem, cujus villulam dicit, non eo incommodam esse, quod ad ventorum flatus opposita sit: sed quod pro tanta pecunia sit pignori opposita, ut suam dicere nequeat. Jocus est in voce opposita.

AD FURIUM.

FURI, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ:
Verum ad millia quindecim & ducentos:
O ventum horribilem, atque pestilentem!

ADNOTATIONES.

Nostra) *Ex sua dicit persona, quod tamen de Furio intelligit*.

Apeliotæ) *Apeliotes, æ, idem qui Subsolanus, & Solanus*. Vento di Levante.

Ducentos) *Subaudi sestertios*.

XVIIII.

POCILLATOREM monet, ut liberalius ministret vina: eumque hortatur ne aqua vinum diluat: quod per apostrophen ad lymphas venuste dicit.

AD PUERUM SUUM.

MINISTER vetuli, puer; falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Posthumiæ jubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphæ,
Vini pernicies, & ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

ADNOTATIONES.

Falerni) *Falernum vinum Romanis celebre: proveniebatque in Falerno, Companiæ monte.*

Inger) *Ingere.*

Posthumiæ) *Posthumia mulier bibacissima.*

Ut lex jubet magistræ) *Talorum jactu sortiebantur Veteres, qui legem ferret, quantum quisque biberet: dictus proinde Magister vini, Modimperator, Arbiter, & Rex convivij: eratque is, qui Venerem jaceret: nempe qui talos omnes figura jaceret diversa.*

Acina) *Acina pro uva, atque uva pro vino. Dicitur acinus, & acina, & acinum.*

Thyonianus) *Bacchus, a Thyone quæ, & Semele, Bacchi matre,*

PI-

XX.

PISONI in Hispaniam profecto se comites dederunt Verannius, & Fabullus: eosque asserit, nihilo plus lucri fecisse, quam ipse fecerat, Cajum Memmium Praetorem in Bithyniam secutus: scilicet id tantum lucratos fuisse, quod expenderant.

AD VERANNIUM, ET FABULLUM.

PISONIS comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappà, frigoraque & famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? Ut mihi, qui meum secutus
Praetorem, refero datum lucello.

ADNOTATIONES.

Cohors) *Cohors Praetoris dicebantur quoque ii, qui eum amicitiae caussa sequerentur.*

Vappà) *Homine nihili: metaphora ducta a vino.* Fantoccio, Gocciolone.

Ecquidnam &c.) *Ecquid in rationibus patet, praeter expensa?*

Refero datum lucello) *Lucelio, parvo lucro. Quod expenditur, non lucro, sed damno ponitur. Jocose itaque dicit, in suis quoque rationum tabulis ea lucri locum occupasse, quae in sumtus dederat.* Metto a conto di gaudagno ciocchè ho speso.

Sinistra Liberalitas) *Cæsar per metonymiam : at sensus est. Quid est aliud, o Cæsar, quod Mamurræ effundendam præbeas? Quasi parum effuderit, qui paterna bona, ac tantam bellorum prædam devorarit.*

Præda Pontica) *Quam Cæsar obtinuit, victo Pharnace Mithridatis filio in Ponto, Asiæ Minoris regione.*

Ibera) *Superavit Cæsar in Hispania Petrejum, & Afranium.*

Quas, &) *Et quas* attulit *Tagus. Hispaniæ fl.*

Malum) *Scilicet Mamurram.*

Uncta) *Pinguia, opulenta.*

Socer, Generque) *Videlicet Cæsar, & Pompejus, qui civile bellum suscitarunt, ex quo præda optima Mamurræ obtigit.* Perdita bona *ea dicit Vates, quæ Mamurra obliguriverat.*

XXII.

ALPHENUM incusat, quod promissis non steterit: eique minatur fore, ut violatæ fidei pœnas ab eo Dii exigant.

Choriambicum est, constatque spondæo, tribus choriambis, ac pyrrhichio.

AD ALPHENUM.

ALPHENE immemor, atque unanimis false sodalibus,
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi.
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide
Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidē?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre, & nebulas aerias finis.
Si tu oblitus es; at Dii meminerunt, meminit Fides:
Quæ te ut pœniteat postmodo facti, faciet tui.

ADNOTATIONES.

Tute jubebas) *Tu ipse jubebas, ut me totum darem ad te amandum.*

Fides] *Fides Dea erat, cujus Templum ad Capitolium.*

XXIII.

GRATULATUR sibi de reditione e Bithynia ad Pæninsulam Sirmionem, ejusque laudes canit. Scazon.

AD PAENINSULAM SIRMIONEM.

PAENINSULARUM, Sirmio, Insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque adquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude.
Gaudete vosque, ludiæ lacus undæ:
Ridete quicquid est domi cachinnorum.

ADNOTATIONES.

Ocelle] *Ocellus, parvus oculus. Italice tamen vertimus:* Fiore, pregio, gloria.

Uterque Neptunus) *Mare superum, inferumque.* L' Adriatico, e'l Tirreno.

Thyniam) *Thynias, æ. Nunc* Capo Tenia. *Africæ Promontorium.*

Ludiæ) *Motu agitatæ. Ludius, i,* Giocoliere. *Hinc ex Scalligero* ludius, a, um, *cujus Lexica non meminerunt.*

XXIIII.

DIANAM commendat a generis nobilitate, ac numinis potentia; quod per partes exponit.

Priores tres versus fere semper Glyconici: habentque spondæum, ac dactylos duos. At choreo jambove pro spondæo utitur Catullus. Quartus quisque Pherecratius est, constans spondæo, dactylo, & choreo. Choreum quoque jambumve primæ sedi Vates noster apposuit.

SAECULARE CARMEN AD DIANAM.

DIANAE sumus in fide
Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam.
Montium Domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.
Tu *Lucina* dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.
Tu cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine: Romulique,
Ancique, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

ADNOTATIONES.

Sæculare) *Ad centesimum decimum quemque annum agebantur fere Seculares ludi ex Cl. Juvencio e*

Soc. Jes.; *certæque preces Dianæ, atque Apollini pro Romani Imperii salute a pueris, ac puellis canebantur ad Sibyllæ præscriptum. Consule* Horat. *cum Notis Joventii, Od.* 18 *lib. I., & Od.*5. *lib. IIII., & Od.* 14. *Epodon.*

In fide) *In tutela.*

Latonia) *Diana, a Latona matre.*

Deliam] *Latona in Delo Ægei maris insula Dianam peperit.*

Deposivit) *Deposuit. Enixa est, peperit.*

Saltuumque) *Sic est dimensiendus*, saltu umque recondito. *Quum autem ultima* rum *ab insequenti vocali elidatur; ultima evadit* to, *cujus non habetur ratio.*

Lucina) *Juno Lucina eadem, quæ Diana Lucifera. Lucina autem dicta a luce, in quam, ut partus ederetur, curaret.*

Trivia) *Diana, quæ eadem cum Hecate, in triviis coli solita.*

Notho) *Alieno: nam lucet solis luce.*

Sancta) *Versus ejusdem dimensionis, ac* saltuumque.

Romulique, Ancique) *Romulus, & Ancus Romæ Reges, primus ille, hic quartus.*

XXV.

CAECILIUM Veronam Novocomo accersit: habet enim, de quo cum eo communicet; quemquam erudita mulier nescio quæ ejus carminum amore capta conetur eum detinere. Apostrophe ad librum.

AD LIBELLU.

POETAE tenero, meo sodali
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit;
Quamvis callida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas injiciens roget morari:

Quæ

Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum distinet impotente amore.
Nam quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphicâ puella
Musâ doctior; est enim venuste
Magna Cæcilio inchoata Mater.

ADNOTATIONES.

Novi-Comi) *Tmesis est.*

Comi) *Comum Urbs a Gallis condita. Eo Coloniam Scipio deduxit, quam inde C. Pompejus, & J. Cæsar auxerunt. Hinc Novocomum vocari cœpit. Hodie* Como.

Lariumque litus) *Ripam lacus Larii.* Lago di Como.

Inchoatam) *Inchoaverat Cæcilius poema de Cybele, quæ Domina Dindymi, Dindymene, Magna Divorum Mater, ac Berecynthia vocabatur.*

Sapphicâ) *Scilicet Sappho ipsa, poetria nobilissima, quæ Musarum decima habebatur.*

XXVI.

CATULLUS puellæ iratus in eam jambicos scripserat: Tum illa Veneri, atque Cupidini joco vovit, se Volusii scripta igni daturam, dummodo Catullus sibi reconciliaretur. Quod votum, quum mitigato jam ipsi aperuisset Puella; videns Vates, Volusianos annales cremandos reapse esse dicit, ut voto solvatur.

AD ANNALES VOLUSII.

ANNALES Volusi, lutata charta,
Votum solvite pro mea puella.
Nam sanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemque truces vibrare jambos;
Electissima pessimi poetæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.
Et hæc pessima se puella vidit
Joco se lepide vovere divis.

Nunc o cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Syrosque apertos,
Quæque Ancona, Gnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Colchos,
Quæque Dyrrhachium Adriæ tabernam,
Acceptum face, redditumque votum,
Si non illepidum, neque invenustum est.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris, & inficetiarum,
Annales Volusî, lutata charta.

ADNOTATIONES.

Desissem) *Desivissem.*

Tarpipedi Deo) *Vulcano, quod claudus fingeretur. Hic pro* igne. *Metonymia.*

Joco se lepide) *In voce* joco *carminis argutia. Nam Volusii Annalibus infestus Catullus, effecit, ut quod Lesbia joco voverat, id uti serio fieret. Repetitur autem bis* se se *Atticorum more.*

Nunc o cæruleo) *Venerem vocat, ut puellam voto liberet. Venus e mari nata est.*

Quæ sanctum &c.) *Percenset loca Veneri sacra. Idalium, Cypri nemus, in quo & oppidum.*

Syrosque apertos) *Campos Syros, Syrios, seu Assyrios, plano sitos loco. Assyrii Venerem Astartes nomine colebant, ex Cicerone III. de Nat. Deor.*

Ancona) *Ancon, onis, in qua templum Veneris.*

Gnidumque) *Veneris simulacrum in Gnido colebatur. Gnidus autem arundinibus, ac piscibus abundabat.*

Amathunta) *Amathus, urbis Cypri.*

Colchos) *Cholchi Asiæ populi ad mare Caspium.*

Dyrrhachium) *Urbs Epyri, portusque in Adriatico, hodie* Durazzo : *vocatque Adriæ tabernam, quod eo diverterent, qui per Adriaticum navigassent.*

COR-

XXVII.

CORNIFICIO irascitur, quod se mærentem invisens, & paucis, & inepte solatus fuisset.

AD CORNIFICIUM.

MALE est, Cornifici, tuo Catullo,
Male est, mehercule, & laboriose,
Magisque, & magis in dies, & horas.
Quem tu (quod minimum, facillimumque est)
Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi: sic meos amores?
Paullum quidlibet adlocutionis.
Mæstius lacrimis Simonideis.

ADNOTATIONES.

Mehercule) *Dactylus est, ultimâ non absorptâ.*
Sic meos amores) *Supple prosequeris. Italice.* Così ti vesti degli affetti miei?
Paullum quidlibet adlocutionis) *Subaudi attulisti.*
Mæstius) *Atque id ipsum mæstius lacrimis, quas Simonides fundebat.*
Simonideis) *Simonides ex Cea insula poeta nobilis: in tristium rerum tractatione maxime excelluit.*

XXVIII.

EGNATIUM exagitat, quod ea quoque risu exciperet, quæ lacrimis excipi par foret, ut dentium candorem, quem sibi spurcissime parabat, ostentaret. Scazon.

IN EGNATIUM.

EGNATIUS, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: si ad rei ventum est
Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: si pii ad rogum filii
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille: quicquid est, ubicumque est,

Quodcumque agit, renidet: hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem.
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra,
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam.
Ut quo iste vester expolitior dens est;
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

ADNOTATIONES.

Renidet usquequaque) *Semper ridet diductis labris.*
Si &c.) *Amplificatio per partium enumerationem.*
Ad rei subsellium) *Ad judicium: ibi enim rei sordidis vestibus ad commiserationem excitandam in scabello assidebant.*
Hunc habet morbum) *Habet hanc consuetudinem vitiosam.*

Quare monendus) *Ad Egnatium apostrophe. Bone Egnati, inquit, etsi e gentibus orireris, quæ sibi dentium candorem purissime compararent; tamen nulla eos occasione retegere, ineptum esset. Quando igitur id ineptius est, quum ex eo Hispanorum genere originem ducas, qui dentes lotio confricant, ut candidos efficiant?*

Urbanus) *In urbe natus.*

Porcus) *Pinguis.*

Obesus) *Pinguis, crassus. Vid. Gell. lib.* 18. *Noct. Attic.*

Lanuvinus] *Ex Lanuvio. Lanuvium urbs olim Latii in via Appia. Nunc* Indovina.

Ut meos &c.] *Verona Poetæ patria erat ex Gallia Transpadana.*

Lavit] *Lavat.*

Celtiberia] *Celtiberia, Hispaniæ regio.*

Ruf-

Ruſſam) *Rubentem. Mos erat Celtiberis, lotio dentes lavare.*

XXVIIII.

MINATUR Ravido, ſe in eum jambos ſcripturum. Phaleucium.

AD RAVIDUM.

QUAENAM te mala mens, miſelle Ravide,
Agit præcipitem in meos jambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi?
Quid vis? qualubet eſſe notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluiſti amare pœna.

ADNOTATIONES.

Mala mens) *Furor.*

Ravide) *Poſtrema ſyllaba a prima ſequentis verſus abſumitur.*

Quis Deus) *Dii irati mala conſilia in hominum mentes immittere dicebantur.*

Non bene advocatus) *Inauſpicato vocatus.*

Anne ut pervenias) *Ut meis verſibus traductus ad infamiam, famoſus evadas?*

Qualubet) *Per famam, & infamiam.*

Pœna) *Hic pro* infamia.

Meos amores voluiſti amare) *Italice*: Voleſti farti mio rivale.

HEN-

XXX.

HENDECASYLLABORUM opes implorat ad extorquendas litteras a muliere quadam subreptas. Primum eam conviciis insectatur; ad postremum eam quoque blanditiis tentat.

IN QUAMDAM.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Jocum me putat esse serva turpis.
Et negat mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, & reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? Illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice, ac moleste
Ridentem catuli ore gallicani.
Circumsistite eam, & reflagitate:
Serva putida, redde codicillos.
Redde, putida serva, codicillos.
Non assis facis, o Lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse?
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud pote est, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce:
Serva putida, redde codicillos.
Redde, putida serva, codicillos.
Sed nil proficimus: nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis:
Pudica, & proba, redde codicillos.

ADNOTATIONES.

Jocum me putat) *Ridiculum me habet.*

Pugillaria) *Pugillar, aris, tabella erat fere lignea cerâ obductâ, in qua scribebatur. Hic pro litteris usurpatur.*

Catuli gallicani) *Pro quolibet cane. Synecdoche.*

Ore)

Ore) *Rictu*. Muso, ceffo.

Codicillos) *Codicilli hic pro litteris sumuntur, quas ad præsentes mittimus*. Biglietti.

Non assis facis o Lutum catastas) *Italice:* Poco ti cale o Feccia di terra, che ti si rinfacci l' esser di schiava. *Lutum hic pro muliere lutulenta. Metonymia. Catasta autem locus erat, ubi venales servi exponebantur.*

Quod si non &c.) *Si nihil aliud possumus; incutiamus ei ruborem.*

XXXI.

ACMES deformitatem, corporisque vitium per partes describit. Tum facete homines admiratur, qui cum Lesbia eam comparare audeant.

IN ACMEN.

SALVE nec nimio puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens, & infacetum!

ADNOTATIONES.

Decoctoris) *Decoctor is erat, qui vitio suo ad inopiam redigebatur.*

Ten') *Te ne*.

Provincia) *Provinciales. Metonymia.*

GRA-

XXXII.

GRATULATUR fundo, quod in eo tussi liberatus sit, quam apud Sestium contraxerat, quum quamdam ineptissimi hominis orationem cænam inter audiisset. Scazon.

AD FUNDUM.

O FUNDE noster, seu Sabina, seu Tiburs;
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt)
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expui tussim;
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, cænas.
Nam Sestianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me procuravi ocimoque, & urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod es ulte peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sesti recepso: quin gravedinem, tussim
Non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

ADNOTATIONES.

Funde) *Fundus, ager cum ædificio*. Podere, Villa.
Seu Sabine) *Fundus hic erat in utriusque regionis confinio, utriusque esset, ambigebatur.*
Tiburtem) *Mavult cum esse Tiburtinum. Tiburtinæ regionis summa fuit amœnitas.*
Quovis pignore) *Italis est*. Scommetton qualunque cosa. Si giuocan checchessia.
Expui malam tussim] *Tussi me liberavi.*

De-

Dedit] *Attulit*.

Petitorem) *Petitor dicebatur, qui & bona petebat, & litem intendebat*.

Hic) *Italice*. In quel tempo. Allora fu.

Procuravi] *Curavi*, *levavi*.

Ocimo) *Ocimum*, *gen. herb.* Ocimo, basilico.

Refectus] *Instauratus*.

Sesti] *Sestius ad cœnam invitaverat Catullum*.

Recepso] *Antique pro* recepero.

Non mi, sed ipsi) *Joco hæc dicit*.

XXXIII.

CATULLUS acta in Phrygia hieme cupit veris tempore tota Asia vagari: dicitque vale amicis secum profectis.

AD SEIPSUM DE ADVENTU VERIS.

JAM ver egelidos refert tepores,
Jam cæli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus urbes.
Jam mens prætrepidans avet vagari,
Jam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul a domo profectos,
Diversos variæ viæ reportant.

ADNOTATIONES.

Egelidos tepores) *Moderatos calores*.

Cæli furor) *Sub veris æquinoctium venti bacchantur*.

Nicææque] *Nicæa Urbis Bithyniæ*.

M. T. Cl-

XXXIIII.

M. T. CICERONI gratias agit ob beneficium ab eo acceptum.

AD. M. T. CICERONEM.

DISERTISSIME Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta:
Tanto pessimus omnium poeta;
Quanto tu optimus omnium patronus.

XXXV.

LICINII Calvi consuetudinem, quicum pridie certatim versus fecerat, sibi esse carissimam, facete ex eo scribit, quod neque cibum, neque somnum caperet, ejus praesentia orbatus.

AD LICINIUM.

HESTERNO, Licini, die otiosi
Nullum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse: delicatos
Scribens versiculos uterque nostrûm,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poema feci,

Ex

Ex quo perſpiceres meum dolorem.
Nunc audax cave ſis: preceſque noſtras
Oramus, cave deſpuas, ocelle,
Ne pœnas Nemeſis repoſcat a te.
Eſt vehemens dea; lædere hanc caveto.

ADNOTATIONES.

Multum luſimus) *Per ludum conſcripſimus.*
Ludebat &c.) *Ludebamus verſibus nunc iſto, nunc illo modo.*
Illoc) *Veteres pro illo.*
Reddens mutua) *Rependentes ultro citroque carmina.*
Poema) *Idem hic, quod Epigramma.*
Ocelle) *Amice. Italice*: Cuor mio, mia Vita, mio Bene, *aut quid ſimile.*
Nemeſis) *Dea malefactorum ultrix.*

XXXVI.

SIBIMET ſuccenſet, quod Nonius Struma, & Vatinius indigni homines, ad Præturam ille, hic vero ad Conſulatum pervenerint. Jambicum.

IN NONIUM STRUMAM, ET VATINIUM.

QUID eſt, Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet:
Per Conſulatum pejerat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?

ADNOTATIONES.

Sella in curuli) *Sella curulis, (in qua Conſules, Prætores, Ædiles ſedebant) vel a curru dicta eſt, quo vehebatur, vel a curvis, quos habebat, pedibus.*
Per Conſulatum pejerat) *Italice*: Spergiura in fe del ſuo Conſolato.

XXXVII.

BREVEM Calvi staturam ostendens, summam ejus eloquentiam commendat.

DE QUODAM, ET CALVO.

RISI nescio quem modo in corona,
Qui, quum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait hæc, manusque tollens:
Dii magni, salapusium disertum!

ADNOTATIONES.

Salapusium) *Vox est nutricum pueris blandientium, conflaturque a* sale, *&* puso. *Calvus statura brevissimus fuit, at vehementissimus in dicendo. Nescio quis tantam ejus eloquentiam, qua Vatinius exagitabat, admirans, cum crediderit pusum, seu puellum, atque extemplo exclamavit*: Dii Magni, salapusium disertum. *Alii aliter.*

XXXVIII.

EXPONIT lepidissime quantopere se defatigaverit Camerium quæritans: cumque rogat, ut, ubi mox sit futurus, indicet. Phaleucium est, habetque fere secundo loco spondæum pro dactylo.

AD CAMERIUM.

ORAMUS, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sunt tuæ tenebræ,
Te campo quæsivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis.
Te in templo superi Jovis sacrato,
In Magni simul ambulatione.
Sed te jam ferre Herculii labos est;
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis ubi sis futurus, ede hoc

Au-

Audacter: committe, crede luci.
Si linguam clauso tenes in ore;
Fructus projicies amoris omnes.
Non custos si fingar ille Cretum.
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveæ citæque bigæ
Adde huc plumipedes, volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicaris:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quæritando.

ADNOTATIONES.

Minore) *Cælio, ubi Circenses ludi agebantur.*

Te in omnibus) *Choreus in secunda sede.*

Circo) *Hic pro Maximo, quo extra ludorum quoque tempora populus confluebat.*

Libellus) *Pro librariis.*

In templo) *In Capitolio.*

In magni &c.) *In porticu Pompeii, qui* Magnus *dicebatur.*

Negas) *Celas.*

Amoris) *Supple in me.*

Non custos) *Non si Talus fiam custos Cretensium. Raptam Europam in Cretam avexit Juppiter. Tum per litus custodes disposuit, inter quos Talus fuit maxime celeritais homo.*

Pegaseo Volatu) *Pegasus equus fuit alatus.*

Ladas) *Ladas, quum curreret, pedum vestigia in arena non relinquebat.*

Perseus) *Jovis, & Danaes filius, accepit talaria a Mercurio.*

Rhesi] *Rhesus Thraciæ rex equos habuit celerrimos. Bigæ hic pro equis.*

Plumipedesque, volatilesque) *Intellige Zethum, & Calain, qui Boreæ filii dicuntur.*

Quos junctos mihi dicaris) *Pro* dicaveris: *h. e. Quorum omnium conjunctam celeritatem si mihi addixeris, seu dederis.*

SUM-

XXXVIIII.

SUMMAM Rufæ mendicitatem ex eo exponit, quod mediis e flammis cibum peteret. Scazon.

DE RUFA.

BONONIENSIS Rufa Rufulum fallat,
Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Quum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore?

ADNOTATIONES.

Fallat) *Fallo, as, obsoletum, pro quo utimur, fallo, is.*

Sepulcretis) *Sepulcretum est sepulcrorum locus, in quo ustrinæ ad cadavera cremanda. Ad ustrinas autem culinæ, in quibus silicernium, seu funebris cœna coquebatur. Pauperes huc concurrebant frequentes ad silicernia absumenda.*

Tunderetur) *Vapularet.*

Semiraso) *Semitonso.*

Ustore) *Ustor is erat, qui in ustrinis corpora cremabat: eratque e viliore mancipiorum genere.*

ADMONITIO.

Carminis hujus alienam prorsus a vero, si Scaligero credimus, explanationem in medium protulit CL. V. Marcus Antonius Muretus.

MAN-

XXXX.

MANLII Torquati, & Juliæ Aurunculejæ nuptias celebraturus Vates, nubendi ritum primum describit: tum bona, quæ ex justis nuptiis proveniunt, enumerat: deinde fausta adprecatur.

Quatuor primi versus sunt Glyconici: quintus autem Pherecratius.

IULIAE AURUNCULEJAE, ET MANLII TORQUATI EPITHALAMIUM.

Collis o Heliconii
Cultor, Uraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem: o Himénæe Himen,
O Hymen Hymenæe:
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus,
Pineam quate tædam.

Nam-

ADNOTATIONES.

Uraniæ genus) *Hymen nuptiarum præses, filius Uraniæ musæ, accola Heliconis. Vocabatur Hymenæus, & Hymenæus Hymen. Nuptiarum ritum per apostrophen ad Hymenæum eleganter exponit. Consule Exercit.II. de Romanor. Nupt. Cl. V. Cantelii e Soc. Jesu.*

Flammeum) *Velum lutei coloris, quo sponsæ facies tegebatur.*

Pineam) *Tædæ e pino nuptiis adhibebantur, quod noctu celebrarentur. Quinque erant numero.*

Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age huc aditum ferens
Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe.
Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc, & huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Ut lubentius audiens,

Se

Phrygium Judicem) *Paridem e Phrygia. Paris Minervæ, ac Junoni Venerem prætulit, eique pomum aureum, quod pulcriorem existimaverit, adjudicavit.*

Enitens) *Conspicua.*

Asia) *Asius, a, um, adjectivum paludis in Mysia, myrti feracissimæ.*

Hamadryades) *Silvarum Nymphæ, quæ cum arboribus gignuntur, ac pereunt.*

Ludicrum) *Ad oblectamentum.*

Thespiæ) *Thespius, a, um, ad Thespias pertinens. Thespiæ autem urbs prope Heliconem.*

Aganippe) *Fons Musis sacer, qui e calcibus Pegasi, equi alati, erupit.*

In modum dicite) *In numerum canite.*

Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.
  Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cælitum? o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
  Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula solvunt sinus:
Tete, Hymen, cupida novus
Captat aure maritus.
  Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suæ
Dedis: o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
  Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at potest,
Te volente: quis huic deo
Compararier ausit?
  Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at potest,
Te volente: quis huic deo
Compararier ausit?
  Quæ tuis careat sacris,
Non queat dare præsides
Terra finibus: at queat,
Te volente: quis huic deo

C Com-

Citarier) *Citari, vocari.*
Zonula solvunt] *Vid. pag. 6. v. 28,*
Nil potest] *Altera pars carminis, qua bona, quæ ex justo conjugio proveniunt, percensentur.*
Stirpe jungier] *Jungi. Parentes ex non justo matrimonio stirpe non jungebantur; quod filiis herditatem non transmitterent.*
Præsides) *Rectores. Qui ex indebitis concipiebatur nuptiis, Magistratum capere haud poterat.*

Compararier ausit?
  Claustra pandite januæ.
Virgo adest: viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas: nova nupta.
  Tardet ingenuus pudor:
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
  Flere desine: non tibi,
Aurunculeja, periculum est,
Ne qua femina pulcrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
  Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
  Prodeas, nova nupta, sis:
(Jam videtur) & audias
Nostra verba (viden'? faces
Aureas quatiunt comas;)
Prodeas, nova nupta.
  Tollite, o pueri, faces:
Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
  En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,

Quo

Comparariet] *Comparari*.
Viden') *Videsne*.
Ut faces) *Faustum conjugii augurium*.
Aurunculeja) *Cognomen Sponsæ ex Scaligero*:
Ne qua) *Vetus formula erat*: Nulla te hodie femina pulcrior.
En tibi) *Posterior hymni pars, quæ læta conjugii continet auspicia*.

Quo tibicine serviat:
Io Hymen Hymenæe io;
Io Hymen Hymenæe.
Usquedum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io *Hymen* Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque sibi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Torquatus volo parvulus
Matris e gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, & facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet;
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopæo.

Quo tibicine) *Tibicen est quoque fulcrum, seu columna, cui domus recumbit. Translate dicitur de* Viro.

Usquedum) *Ordo est. Usquedum anilitas cana movens tremulum tempus (tremula tempora) annuit,* pro annuat, *omnia omnibus. Quum tremulum senibus caput sit; annuere fere omnibus videntur.*

Omine cum bono) *Infaustum omen, si egrediens in limen offenderet sponsa.*

Rasilem) *Politam, lævem.*

Dulce) *Dulciter.*

Qualis) *Telemacho, Penelopes & Ulyssis filio, ingens accessit decus, quod viginti ferme annos absente conjuge pudicitiam Mater servarit.*

XXXXI.

EA LEGE Atyn adolescentem sacris suis præfecerat Cybelæ, ut castitatem perpetuò coleret. Promissis haud stetit Juvenis (quæ omnia hic supponuntur) Tum sacra is abreptus ira, Cybeles nemus petiit, atque in se, inque socios vulneribus sæviit. Ast ubi deferbuit per somnum furor; facti statim pœnituit. Mox reditionem in patriam cum comitibus meditanti furibundum leonem immittit Dea, ut fugientem detineat, inque silvas reducat.

Versus Galliambus, a Gallis Cybeles Sacerdotibus, quod eo plurimum uterentur. Constat anapæsto, jambis duobus, & syllaba: tum altero anapæsto, ac jambis duobus. Tribrachyn quoque secunda, quintaque sede admittit. Item pro anapæstis spondæos, & proceleusmaticos recipit.

DE ATY.

SUPER alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Discerpsit alba acuta sibi corpora silice.
Itaque ut relicti sensit sibi membra sine viro:
Et jam recente terræ sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum, tubam Cybelles, tua, Mater, initia:
Qua-

ADNOTATIONES.

Super alta) *Elegans enarratio, qua exponitur, quæ Atis egerat sacro correptus furore. Consule Ovid.* X. Metamorph.

Vagus animi) *Inops animi.*

Sine viro] *Eviratus.*

Citata) *Mutat genus, quod Atys femina videretur.*

Tympanum) *Prima correpta Græcorum more.*

Cybelle) *Cybele. Epenthesis est. Cibele Mater fuit Deorum.*

Tua initia) *Quibus sacerdotes tuis initiantur sacris: seu*

Quatiensque terga tauri teneris cava digitis,
Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus.
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exsules, loca
Sectam meam exsecutæ, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis. truculentaque pelagi,
Et corpus evirastis veneris nimio odio.
Hilarate Hero citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite: sequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora deæ,
Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant;
Ubi suevit illa Divæ volitare vaga cohors:
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.

 Eu-

seu crepundia, quibus usa es, quum in cunis esses; seu mysteria, mysteriorumve insignia.

Terga] *Tympana, quæ, e tergoris pelle fiunt.*

Gallæ] *Galli. Ita sodales eviratos vocat. Galli autem dicebantur Cybeles sacerdotes, vel a Gallo sacerdote, vel a Gallo amne prope Phrygiam. Consule Ovid. Fast. IIII.*

Dindymenæ) *Cybele, a Dindymo Phrygiæ Monte, ubi colebatur.*

Sectam meam) *Vitæ genus.*

Cymbalûm) *Cymbalorum,*

Canit grave] *Graviter canit.*

Mænades) *Cybeles sacrificulæ, quæ hederis vedimitæ capita quatiebant, uti in sacris Bacchi.*

Quo nos) *Illuc etiam nos decet.*

Simul hæc) *Jussa faciunt Comites, quodque ex effectis commonstrat Vates.*

Thiasus) *Propria saltatio, quæ Baccho exhibebatur: At hic pro cohorte Atyn secuta.*

Furibunda simul anhelans vaga vadit animo egens
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem sequuntur Gallæ properipedem.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere lassulæ,
Nimio e labore somnum capiunt sine cerere.
Piger his labantes languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit æthera album sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum excepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabida sine rabie
Simul ipsa pectore Atys sua facta revolüit,
Liquidaque mente vidit, sine queis, ubique foret,
Animo æstuante rursum reditum ad vada tetulit.
Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam adlocuta mæsta est ita voce miseriter:
Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud nivem, & ferarum gelida stabula forem,
Et

Animo egens) *Mente motus*.

Properipedem) *Celerem pede. De hac voce nil in Lexicis.*

Sine cerere) *Incœnatæ. Metonymia.*

Sed ubi &c.) *Ubi scilicet illuxit dies, idque ex effectis describitur.*

Ibi somnus &c.) *Expergiscitur. Poetice id exprimitur. Nam Pasithea, quæ & Euphrosyne, una e tribus Gratiis, Somni uxor ferebatur.*

Sine queis, ubique foret) *Sine quibus rebus, & ubi foret.*

Reditum ad vada tetulit] *Tulit. Prothesis. Redit scilicet ad mare in patriam remeaturus.*

Miseriter] *Miserabiliter.*

Patria o mea) *Ad Patriam apostrophe. 1. Patriæ desiderium Atys exprimit. 2. Quis olim fuerit, quotque diffluxerit bonis, commemorat. 3. Præsentis vitæ genus dolet.*

Herifugæ) *Herum fugientes.*

Et ut omnia earum adirem, furibunda, latibula:
Ubinam, aut quibus locis te positam, Patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio & gymnasiis?
Miser ah miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Egone deûm ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus,
Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Jam jam dolet quod egi, jam jamque pœnitet.
Roseis ut huic labellis palans sonitus abit,
Geminas Deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus,
Lævumque pecoris hostem stimulans ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i, face ut hinc furoribus,

C 4 Face

Pupula] *Italis est*. La pupilla degli occhi.

Gymnasii) *Prima correpta, græcanico more.*

Decus olei) *Luctæ. Metonymia. Oleo se ungebant Palæstritæ.*

Limina tepida) *Frequentata: nam calent, quæ frequentantur, loca.*

Mihi floridis] *Mos erat amicorum fores omari floribus.*

Columinibus) *Culminibus. Epenthesis.*

Idæ) *Ida, æ. Mons Phrygiæ.*

Palans) *Vagans, vagus.*

Ibi] *Ut. Carminis pars postrema. Atyn Cybele detinet in patriam cogitantem, immisso in eum Leone.*

Juncta juga) *Cybeles currus a leonibus trahebatur.*

Lævum) *Sinistrum currus leonem.*

Agedum) *Ad iram leonem concitat Cybele, eaque omnia per partes describit, quæ furibundum maxime leonem decent.*

Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cæde terga cauda: tua verbera patere.
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.
Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum.
Vadit, fremit, & refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi;
Facit impetum. Ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.
Dea, magna dea, Cybele, Dindymi dea, domina;
Procul a mea tuus sit furor omnis, Hera, domo.
Alios age incitatos, alios age rabidos.

Face ut hinc) *Fac, ut a litore maris.*
Patere) *Patiaris. Cauda se ad iram excitat leo.*
Torosa) *Hic pro forti.*
Dea Magna) *Cybele, quæ & Berecynthia. Festiva Vatis precatio, qua ejus iram a se amoliri studet.*
Dindymi) *Prima correpta ad normam Græcorum.*

C. VA-

C. VALERII
CATULLI
VERONENSIS

FRAGMENTA EX LYRICIS.

I.

EX CARMINE V. AD LESBIAM.

VIVAMUS, mea Lesbia, & jocemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles, occidere, & redire possunt:
Nobis quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

II.

EX CARMINE VI. AD FLAVIUM.

QUARE quicquid habes boni, malique,
Dic nobis. Volo te, ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare versu.

III.

EX CARMINE VII. AD LESBIAM.

QUAERIS quot mihi gratulationes
Tuæ, Lesbia, sint satis superque?
Quam magnus numerus libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis
Oraclum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum.

IIII.

EX CARMINE VIII. AD SEIPSUM.

MISER Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides præteriisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Quum ventitabas, quo Fortuna ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens ne sis:
Nec quæ fugit, sectare, nec miser vive:
Sed obstinata mente perfer obdura.
Fortuna ah! vale. Jam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, quum rogaberis nulla.
At tu Catullus destinatus obdura.

V.

EX CARMINE XV. AD AURELIUM.

COMMENDO tibi me, ac meos sodales,
Aureli, veniam peto pudentem,
Ut, si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, & integellum,
Conserves socios mihi beate:
Non dico a populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum a te metuo, tuaque lingua
Infesta sociis bonis malisque,
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, sceleste, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas:
Ah tum te miserum, malique fati!

VI.

EX CARMINE XXI. AD AURELIUM.

AURELI, pater esuritionum,
Non harum modo, sed quot, aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis.

VII.

EX CARMINE XXIIII. AD JUVENTIUM.

O QUI flosculus es Juventiorum,
Non horum modo, sed quot, aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis.

VIII.

EX CARMINE XXVIII. AD MEMMIUM.

AT VOBIS mala multa dii, deæque
Dent, opprobria Romuli, Remique.

VIIII.

EX CARMINE XXXXI. DE PUELLA.

PROPINQUI, quibus est puella curæ,
Amicos, medicosque convocate.
Non est sana puella, nec rogate,
Qualis sit. Solet hæc imaginosum.

X.

EX CARMINE XXXXVII. AD PORCIUM; ET SOCRATIONEM.

PORCI, & Socration, duæ sinistræ
Pisonis, scabies famesque Memmi,
Vos convivia lauta sumtuose

De die facitis; mei sodales
Quærunt in trivio vocationes?

XI.

EX CARMINE LI. AD LESBIAM.

ILLE mi par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi.
. . . , . . .
Lingua sed torpet: tenuis sub artus
Flamma dimanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est:
Otio exsultas, nimiumque gaudes.
Otium reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

X I I.

EX CARMINE LIIII. IN CAESAREM.

OTHONIS caput oppido pusillum,
Vecti, rustice, semilauta crura,
Subtile, & leve peditum Libonis,
Si non omnia, displicere vellem
Tibi, & Fuffecio seni recocto.
Irascere iterum meis jambis
Immerentibus, unice imperator.

EX

XIII.

EX CARMINE LVI. AD M. CATONEM PORCIUM.

O REM ridiculam, Cato, & jocosam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula, & nimis jocosa.

XIIII.

EX CARMINE LVIII. AD CAELIUM.

CAELI, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se, atque suos amavit omnes.

XV.

EX CARMINE LVIIII.

NUM TE Leæna montibus libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit, ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde!

C. VA-

Q. VALERII CATULLI VERONENSIS

HEROICORUM LIBER II.

I.

PRINCIPIO pueros, ac puellas monet Vates, ut nuptias concelebrent. Inde pueri, puellaeque alternatim canunt, ac de nuptiarum commodis, incommodisque contendunt.

CARMEN NUPTIALE.

VESPER adest, juvenes: consurgite: vesper Olympo
Exspectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Cernitis, innuptae, juvenes? consurgite contra.
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
Sic certe. viden' ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere: canent quod visere par est.
Hy-

ADNOTATIONES.

Vesper) *Sidus Veneris. De nocte fiebant nuptiae.*

Hymen) *Nuptiarum praeses. Vid. pag.* 47.

Cernitis) *Juvenes primum, mox puellas ad canendi certamen excitat.*

Noctifer) *Hesperus.*

Sic certe) *Dicit puellas celeriter, & consulto ad cantum surrexisse.*

Canent &c.) *Canent, visu & spectatu digna.*

Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Non facilis nobis, æquales, palma parata est.
Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirant.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
Nec mirum; tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur, amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere jam incipient, jam respondere decebit.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Hespere, qui cælo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Hespere, qui cælo lucet jucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma:
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius, quam se tuus extulit ardor?
Quid datur a Divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Hesperus e nobis, æquales, abstulit unam.
. . . .
. . . .
Nempe tuo adventu vigilat custodia semper.

No-

Non facilis) *Juvenes retonunt, victoriam difficilem sibi futuram: nam puellæ meditatæ sunt, quid canant: ipsi vero secus.*

Meditata) *Preparata.*

Habent &c.) *Habent, quod sit dignum memoratu.*

Committite) *Componite.*

Hespere) *Hespero irascuntur Puellæ, quod sponsum e matris amplexibus abstractam conjugi tradat.*

Hespere) *Nullum sidus Hespero jucundius ex eo asserunt juvenes, quod pacta a parentibus inita rite firmet.*

Ignis) *Sidus.*

Hesperus e nobis) *Hæc Puellæ. Ac ad septem fere versus hic desiderantur.*

Nempe) *Hesperum commendant juvenes ex eo, quod fures detegat, puellisque ipsis longe carissimus sit.*

Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.
Ut lubet innuptis ficto te carpere questu!
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem quum tenui carptus defloruit ungui:
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet; tum cara suis est.
Quum castum amisit polluto corpore florem:
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam:
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci.
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.
Sic virgo dum intacta manet; tum inculta senescit.
Quum par connubium maturo tempore adepta est;
Cara viro magis, & minus est invisa parenti.

Et

Tuo adventu) *Te oriente.*

Mutato) *Sidus Veneris post Solis occasum Hesperus, Vespergo, ac Noctifer vocatur; ante ortum Lucifer.*

Ut flos) *Floris comparatione contendunt Puellæ, damnosas virginibus nuptias.*

Multi) *Huc respexit Ovidius III. Met.*

Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ.
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma;
Nulli illum juvenes, nullæ optavere puellæ.

Ut vidua) *Contraria vitis comparatione juvenes monstrant, optabiles puellæ nuptias.*

Flagellum) *Summa palmitis pars.* Tralcio, capo di vite.

Et tu ne pugna cum tali conjuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri.
Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

Et tu) *Hæc pueri, puellæque simul canunt.*

Duobus) *Vetus adagium.* Nec Hercules adversus duos: *inde ductum, quod Hercules adversus Hydram, & Cancrum pugnaturus, Iolai nepotis opem imploravit.*

LUDOVICI AREOSTI PARAPHRASIS

IN ILLUD CATULLI: UT FLOS IN SEPTIS.

LA VERGINELLA è simile alla rosa,
Che 'n bel giardin su la nativa spina
Mentre sola e sicura si riposa,
Nè gregge, nè pastor se le avvicina:
L'aura soave, e l'alba ruggiadosa,
L'acqua, la terra al suo favor s'inchina:
Gioveni vaghi, e donne innamorate
Amano averne e seni, e tempie ornate.
MA NON sì tosto dal materno stelo
Rimossa viene, e dal suo ceppo verde,
Che quanto avea da gli uomini, e dal cielo
Favor, grazia, e bellezza, tutto perde.

XXXXII.

PELEI, ac Thetidos nuptias celebraturus Poeta, ab Argonautarum expeditione orditur. Mox regium nuptiarum apparatum describens, ad Bacchum primo, tum ad Theseum, atque Ariadnam digreditur. Ad scopum tandem reversus inducit Parcas nuptiale canentes carmen, & Achillis, quem in filium Peleus, ac Thetis suscepturi erant, praedicentes fata.

EPITHALAMIUM.

PELIACO quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus, & fines Æetæos:
Quum lecti juvenes Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus retinens in summis urbibus arces
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaque remigio spumis incanuit unda,
Emersere feri candenti e gurgite vultus

Æquo.

ADNOTATIONES.

Peliaco) *Ad Pelion Thessaliæ montem navim Jason construxerat, cui nomen Argo.*

Phasidos) *Phasis, idos, fl. Nunc* Fasso.

Æetæos) *Colchicos: ab Æeta Medeæ patre, Colchorum rege. Colchida appulerunt Argonautæ, Medeæque artibus auratum vellus exportarunt. Ovid. Met. III.*

Diva) *Minerva, cui arces sacrabantur.*

Volitantem currum) *Navim celerrimam.*

Rudem Amphitriten) *Mare non dum remis tentatum. Amphitrite pro mari. Metonymia.*

Æquoreæ monstrum Nereides admirantes:
Illaque, hautque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi fulgenti corpore Nymphas
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes salvete, deum genus, o bona mater:
Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo eximie tædis felicibus aucte,
Thessaliæ columen Peleu, quoi Juppiter ipse,
Ipse suos divum genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem?
Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
Ut venere, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt: præ se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos, ac mœnia Larissæa.

Phar-

Nereides] *Maris nymphæ.*
Hautque) *Pro* haud. *h. e. Illa tantum die.*
Nutricum tenus] *Uberum tenus.*
Thetidis) *Alia Tethys. Thetis alia. De hac Catullus, quæ Peleo nupsit.*
Peleus) *Æaci, & Æginæ filius, nepos Jovis.*
Pater) *Juppiter.*
O nimis) *Ad Argonautas apostrophe.*
Pelea) *Acc. Græcus.*
O bona) *Argo, in qua latuerant Argonautæ.*
Tædis) *Nuptiis. Metonymia.*
Neptunine) *Filia Neptuni, quem Catullus cum Nereo confundit.*
Tethys] *Tethys (primâ productâ) ex Oceano Doridem; Doris ex Nereo Thetidem suscepit.*
Scyros] *Maris Ægæi Insula.*
Tempe) *Regiuncula Thessaliæ in valle amœnissima: Phthiotica appellata ab urbe Phthia, cui prope erat.*
Larissæa) *A Larissa, Achillis patria.*

Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla juvencis
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glæbam prono convellit vomere taurus;
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento:
Candet ebur soliis, collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.
Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diæ.
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam, sese quæ visit, visere credit.
Utpote fallaci, quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.
Quem procul ex alga mæstis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, evoe, Pro-

Cranonisque] *Cranon Thessaliæ Pelasgiotidis oppidum in locis, quæ* Tempe *vocabantur.*

Rura) *Omnes feriantur, quod eleganter amplificat.*

Ipsius) *Pelei ædium descriptio.*

Pulvinar) *Hic pro lecto.*

Indo) *Ordo est: Quod politum dente Indo, purpura tincta fuco roseo conchyli (pro conchilii) tegit. Dente Indo, h. e. ebore Elephantis dente, qui plurimus in India.*

Hæc vestis) *Ad Theseum digressio occasione vestis, qua Thetidis thalamus sternebatur.*

Diæ] *Dia Maris Cretici Insula. Illic Ariadnam Theseus deseruit.*

Minois] *Ariadna, Minois Cretæ Regis filia.*

Saxea) *Ordo est, Prospicit, ut prospicit saxea effigies bacchantis evoe. Ariadnam itaque confert Vates marmoreo Bacchantis simulacro, ad pallidos ejus vultus, defixumque aspectum depingendum.*

Prospicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi vela um pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas:
Omnia quæ toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas.
Illa tempestate ferox, & tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piræi
Attigit injusti regis Gortynia templa.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam,
Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis,
Electos juvenes, simul & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis angusta malis quum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis

Proji-

Mitram) *Italis est*. Cuffia.
Strophio) *Strophium, fascia pectoralis.*
Alludebant) *Alluebant.*
Exsternavit) *Dementem fecit.*
Erycina) *Venus, quod Eryce in monte coleretur.*
Piræi) *Piræus Athenarum portus.*
Gortynia) *Gortyn, Urbs Cretæ: ubi labyrinthus.*
Androgeoneæ) *Androgeos Minois filius ab Atheniensibus occiditur. His bello Minos illato, eosque devictos, septem pueros, totidemque puellas mittere in Cretam coegit, ut Minotaurum alerent.*
Cecropiam) *A Cecrope primo Athenarum Rege.*
Minotauro) *Filius Pasiphaes ex Tauro. Parte superiore hominem referebat; taurum inferiore Jussu Minois labyrintho inclusus humanis carnibus sustentabatur.*
Ipse) *Quarto anno Theseus Ægei Athenarum regis filius sorte ad Cretam missus, Minotaurum morti dedit, acceptoque ab Ariadna fili glomere fuga sospes evasit.*

Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves exspirans castus odores
Lectulus, in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtus,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu misere exagitans immiti corde furores,
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quæque regis Colchos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri?
Quum sævum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, lateque & cominus obvia frangens:
Sic domito sævum prosternit corpore Theseus
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,

Er-

Ne funera) *Repetitio Græcis usitatissima.*
Minoa) *Acc. græcus.*
Virgo) *Ariadne.*
Eurotæ) *Eurotas fl. Laconiæ, lauris myrtoque abundat.*
Sancte) *Ad Cupidinem Veneris filium apostroph:.*
Quæque) *Confule dicta pag. 34. v. 23.*
Tauro) *Taurus mons Asiæ maximus.*

Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ misera gnati misero deperdita leto
Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diæ?
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjunx?
Sæpe illam perhibent, ardenti corde furentem
Clarificas imo fudisse e pectore voces.
Ac tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:
Atque hæc extremis mæstam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem;
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens neglecto numine divum
Immemor ah devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto;
Immite ut nostri vellet miserescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos.

Quæ-

A primo) *Ab instituto celebrandarum nuptiarum Pelei. Per correctionem cetera, quæ ad Ariadnen faciunt, prosequitur.*

Ut linquens) *Quomodo Ariadne deseruit Minoa, Phædram sororem, ac matrem Pasiphaen.*]

Gnati] *Aut Androgeos a Thesei civibus occisus, aut ipse Minotaurus.*

Aut) *Quomodo Theseus Ariadnen reliquit dormientem.*

Tegmina) *Hic pro cothurnis.*

Suræ) *Sura*, la polpa della gamba.

Siccine) *Ariadnes concio. 1. De Thesei perfidia co-*

Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Queis dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla rapax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis;
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi jucundo famularer serva labore.
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,
Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?

Ille

conqueritur. 2. Generatim viris minime credendum asserit. 3. Beneficiorum meminit. 4. Thesei crudelitatem execratur. 5. Sui commiserationem excitat. 6. Facta infecta vellet. 7. Loci, animique angustias detegit. 8. Theseum detestatur, atque Averni furias, ut violatæ fidei pœnas ab eo exposcant, precatur. 9. Concionem denique Ægei patris ad Theseum commemorat, quum Athenis solveret in Cretam discessurus, ut a Minotauro devoraretur.

Prægestit apisci) *Valde cupit adipisci.*

Germanum) *Minotaurum.*

Quænam) *Quorum immanitatem execramur, eos e rupibus, mari, efferisve belluis natos dicimus.*

Prisci Parentis) *Cecropis. Cecrops Atheniensium rex primus nuptiarum leges sancivit.*

Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæva
Fors etiam nostris invidit questubus aures.
Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes:
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? ah gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit æquor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui
Respersum Juvenem fraterna cæde secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore?
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea nullo (litus solum) insula tecto:
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus;
Quam justam a divis exposcam prodita multam,
Cælestûmque fidem postrema comprecer hora.

D Qua-

Vacua in alga) *Vacuo in hoc litore.*

Invidit] *Negavit.*

Juppiter) *Elegans Ethopoeja. Dolentes sæpe homines, quæ facta jam sunt, infecta optarent.*

Gnosia) *Cretensia, a Gnosso, Cretæ Insulæ Urbe.*

Dira stipendia) *Italice.* Crudel tributo.

Religasset funem&c.) *Italice.* Sciolto avesse per Creta.

Nec malus) *Theseus.*

Referam) *Vertam.*

Idomeniosne) *Ab Idomeno oppido illic exstructo. Per interrogationem, ac subjectionem suam vitæ calamitatem describit.*

Gurgite lato) *Vasto freto.*

Respersum Juvenem) *Theseum Minotauri cæde cruentatum.*

Quare, facta virûm multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras,
Huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego, væ miseræ, extremis proferre medullis,
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo;
Vos nolite pati, nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit;
Tali mente, deæ, funestet seque, suosque.
Has postquam mæsto profudit pectore voces,
Supplicium sævis exposcens anxia fatis:
Annuit invicto celestûm numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente tenebat;
Dulcia nec mæsto sustollens signa parenti,
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi quum mœnia Divæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
GNATE mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ:

Quan-

Eumenides) *Tisiphone, Megæra, Alecto Nocte genitæ, scelerum ultrices.*

Oblito] *Theseus reditionis signa non sustulit, ut ei pater Ægeus indixerat.*

Dulcia signa) *Candida vela.*

Erechtheum) *Athenarum litus, ab rege Erechtheo ita dictum.*

Divæ) *Palladis Athenarum custodis.*

Ægeus) *Thesei pater.*

Gnate (*Ægei ad filium abeuntem ad Cretam Oratio: qua cum Theseo convenit, ut, si Palladis ope Minotauro interfecto sospes Athenas redierit, candidum velum, victoriæ signum, efferat.*

Reddite) *Theseus apud avum Pandionem educatus, ad Patrem adultus rediit,*

Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans,
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis,
Carbasus obscurata dicet ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere Erechthei
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram;
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas:
Ut simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes:
Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoscam, quum te reducem ætas prospera sistet.
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus:
Quum primum inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.

Signa) *Velum candidum, quod meliori fortunæ congruit.*

Infecta) *Nigra.*

Incendia) *Doloris æstum.*

Carbasus Ibera) *Optima vela ex Hispania.*

Dicet] *Indicet, demonstret.*

Incola sancti Itoni) *Pallas scilicet, quæ Itoni in Bœotiæ urbe colebatur. Itonus Amphictyonis filius Itonum urbem exeitavit.*

Funestam vestem) *Ferruginem velum.*

At Pater) *Ægeus adventu navis filium interiisse ratus, præ immodica doloris impatientiæ sese in mare præcipitem jecit.*

Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte, ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tamen adspectans cedentem mæsta carinam
Multiplices animo volvebat saucia curas.
AT parte ex alia florens volitabat Jacchus,
Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos:
Pars e divulso raptabant membra juvenco:
Pars sese tortis serpentibus incingebant:
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Mul-

Ferox) *Superbus ob necem Minotauri.*

Minoidi) *Ariadnæ, Minois filiæ.*

Mente immemori] *Ingrato animo.*

Quæ tamen) *Ariadna.*

At parte ex alia) *Ex altera vestis parte, Thetidis lectum obtegentis, intextus erat Jacchus, seu Bacchus, qui Ariadnæ de Theseo conquerenti de improviso supervenit.* Consule *Ovid. III. Fest., & VIII. Metamorph.*

Cum thiaso) *Cum turba saltantium Satyrorum.*

Nysigenis Silenis] *Sileni, orum, Bacchi comites; qui & Nysigenæ, ab urbe Nysa, Bacchi patria. Elegantem hic Poetæ narrationem admirate.*

Lymphata mente] *Mente commoti, furentes bacchabantur.*

Thyrsos) *Thyrsus hasta erat aculeata hederis obtecta, quæ in Bacchi orgiis quatiebatur.*

Tortis serpentibus) *Baccho recens nato coronam e serpentibus innexam Parcæ imposuere: hinc Mænades se quoque serpentibus coronabant.*

Obscura orgia] *Bacchi mysteria vimineis asservata cistis, nefas erat spectari.*

Plangebant) *Percutiebant.*

Multis raucisonos efflebant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
TALIBUS amplificae vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis coepit decedere divis.
Ac quali flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub lumina solis:
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leni & resonant plangore cachinni:
Post vento crescente magis magis increbrescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
QUORUM post abitum, princeps e vertice Pelli
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favoni;
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Peneos adest: viridantia Tempe,

Efflebant) *Flebilem cornibus sonitum edebant.*

Talibus) *Ad institutum tandem redit Vates. Dixerat jam mortalium multos e Thessalia nuptiarum pompam spectatum venisse; eos discessisse singulos nunc affirmat, adventantibusque diis locum dedisse.*

Decedere) *Cedere diis advenientibus.*

Hic) *Abeuntes Thessalos undis crescentibus, ac paullatim longius decedentibus comparat Vates.*

Cachinni) *Undarum sonitus. Metaph.*

Luce refulgent) *Undae labentes refulgent.*

Ad se quisque) *In suas quisque aedes.*

Princeps) *Primus. Deorum accessum, munera largientium, enarrat. Prosopographiam, ethopoejamque suspicias hic volo.*

Chiron] *A Pelio Thessaliae monte Chiron Centaurus advenit. Silvarum fuit accola, Achillisque Praeceptor.*

Permulsa &c.] *Queis imbuta suaviter fragravit.*

Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.
Ut iubet innuptis ficto te carpere questu!
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem quum tenui carptus defloruit ungui:
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet; tum cara suis est.
Quum castum amisit polluto corpore florem:
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam:
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci.
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.
Sic virgo dum intacta manet; tum inculta senescit.
Quum par connubium maturo tempore adepta est;
Cara viro magis, & minus est invisa parenti.

Et

Tuo adventu) *Te oriente.*

Mutato) *Sidus Veneris post Solis occasum Hesperus, Vesperugo, ac Noctifer vocatur; ante ortum Lucifer.*

Ut flos) *Floris comparatione contendunt Puellæ, damnosas virginibus nuptias.*

Multi) *Huc respexit Ovidius III. Met.*

Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ.
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma;
Nulli illum juvenes, nullæ optavere puellæ.

Ut vidua) *Contraria vitis comparatione juvenes monstrant, optabiles puellæ nuptias.*

Flagellum) *Summa palmitis pars.* Tralcio, capo di vite.

Et tu ne pugna cum tali conjuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri.
Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

Et tu) *Hæc pueri, puellæque simul canunt.*
Duobus) *Vetus adagium.* Nec Hercules adversus duos: *inde ductum, quod Hercules adversus Hydram, & Cancrum pugnaturus, Jolai nepotis opem imploravit.*

LUDOVICI AREOSTI PARAPHRASIS

IN ILLUD CATULLI: UT FLOS IN SEPTIS.

LA VERGINELLA è simile alla rosa,
Che 'n bel giardin su la nativa spina
Mentre sola e sicura si riposa,
Nè gregge, nè pastor se le avvicina:
L'aura soave, e l'alba ruggiadosa,
L'acqua, la terra al suo favor s'inchina:
Giovani vaghi, e donne innamorate
Amano averne e seni, e tempie ornate.
MA NON sì tosto dal materno stelo
Rimossa viene, e dal suo ceppo verde,
Che quanto avea da gli uomini, e dal cielo
Favor, grazia, e bellezza, tutto perde.

XXXXII.

PELEI, ac Thetidos nuptias celebraturus Poeta, ab Argonautarum expeditione orditur. Mox regium nuptiarum apparatum describens, ad Bacchum primo, tum ad Thescum, atque Ariadnam digreditur. Ad scopum tandem reversus inducit Parcas nuptiale canentes carmen, & Achillis, quem in filium Peleus, ac Thetis suscepturi erant, praedicentes fata.

EPITHALAMIUM.

PELIACO quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos:
Quum læti juvenes Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces
Ipſa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.
Quæ ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit æquor,
Tortaque remigio ſpumis incanuit unda,
Emerſere feri candenti e gurgite vultus

Æquo.

ADNOTATIONES.

Peliaco) *Ad Pelion Theſſaliæ montem navim Jaſon conſtruxerat, cui nomen Argo.*

Phaſidos) *Phaſis, idos, fl. Nunc* Faſſo.

Æetæos) *Colchicos: ab Æeta Medeæ patre, Colchorum rege. Colchida appulerunt Argonautæ, Medeæque artibus auratum vellus exportarunt. Ovid. Met. III.*

Diva) *Minerva, cui arces ſacrabantur.*

Volitantem currum) *Navim celerrimam.*

Rudem Amphitriten) *Mare non dum remis tentatum. Amphitrite pro mari. Metonymia.*

Æquoreæ monstrum Nereides admirantes?
Illaque, hautque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi fulgenti corpore Nymphas
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes salvete, deum genus, o bona mater:
Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo eximie tædis felicibus aucte,
Thessaliæ columen Peleu, quoi Juppiter ipse,
Ipse suos divum genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem?
Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
Ut venere, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt: præ se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos, ac mœnia Larissæa.

Phar-

Nereides] *Maris nymphæ.*

Hautque) *Pro* haud. *h. e. Illa tantum die.*

Nutricum tenus] *Uberum tenus.*

Thetidis) *Alia Tethys. Thetis alia. De hac Catullus, quæ Peleo nupsit.*

Peleus) *Æaci, & Æginæ filius, nepos Jovis.*

Pater) *Juppiter.*

O nimis) *Ad Argonautas apostrophe.*

Pelea) *Acc. Græcus.*

O bona) *Argo, in qua latuerant Argonautæ.*

Tædis) *Nuptiis. Metonymia.*

Neptunine) *Filia Neptuni, quem Catullus cum Nereo confundit.*

Tethys] *Tethys (primâ productâ) ex Oceano Doridem; Doris ex Nereo Thetidem suscepit.*

Scyros] *Maris Ægæi Insula.*

Tempe) *Regiuncula Thessaliæ in valle amœnissima: Phthiotica appellata ab urbe Phthia, cui prope erat.*

Larissæa) *A Larissa, Achillis patria.*

Pharfaliam coeun:, Pharfalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollefcunt colla juvencis
Non humilis curvis purgatur vinea raftris:
Non glæbam prono convellit vomere taurus;
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.
Squalida defertis robigo infertur aratris.
Ipfius at fedes, quacumque opu'enta receffit
Regia, fulgenti fplendent auro, atque argento:
Candet ebur foliis, collucent pocula menfis:
Tota domus gaudet regali fplendida gaza.
Pulvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, indo quod dente politum
Tincta tegit rofeo conchyli purpura fuco.
Hæc veftis prifcis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentifono profpectans litore Diæ.
Thefea cedentem celeri cum claffe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam, fefe quæ vifit, vifere credit.
Utpote fallaci, quæ tum primum excita fomno
Defertam in fola miferam fe cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventofæ linquens promiffa procellæ.
Quem procul ex alga mæftis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, profpicit, evoe, Pro-

Cranonifque] *Cranon Theffaliæ Pelafgiotidis oppidum in locis, quæ* Tempe *vocabantur.*

Rura) *Omnes feriantur, quod eleganter amplificat*

Ipfius) *Pelei ædium defcriptio.*

Pulvinar) *Hic pro lecto.*

Indo) *Ordo eft: Quod politum dente Indo, purpura tincta fuco rofeo conchylî (pro conchilii) tegit. Dente Indo, h. e. ebore Elephantis dente, qui plurimus in India.*

Hæc veftis) *Ad Thefeum digreffio occafione veftis, qua Thetidis thalamus fternebatur.*

Diæ] *Dia Maris Cretici Infula. Illic Ariadnam Thefeus deferuit.*

Minois] *Ariadna, Minois Cretæ Regis filia.*

Saxea) *Ordo eft, Profpicit, ut profpicit faxea effigies bacchantis evoe. Ariadnam itaque confert Vates marmoreo Bacchantis fimulacro, ad pallidos ejus vultus, defixumque afpectum depingendum.*

Profpicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens fubtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti ftrophio luctantes vincta papillas:
Omnia quæ toto delapfa e corpore paffim
Ipfius ante pedes fluctus falis alludebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Thefeu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah mifera, affiduis quam luctibus externavit
Spinofas Erycina ferens in pectore curas.
Illa tempeftate ferox, & tempore Thefeus
Egreffus curvis e litoribus Piræi
Attigit injufti regis Gortynia templa.
Nam perhibent olim crudeli pefte coactam,
Androgeoneæ pœnas exfolvere cædis,
Electos juvenes, fimul & decus innuptarum
Cecropiam folitam effe dapem dare Minotauro.
Queis angufta malis quum mœnia vexarentur,
Ipfe fuum Thefeus pro caris corpus Athenis

Proji-

Mitram) *Italis eft*. Cuffia.
Strophio) *Strophium, fafcia pectoralis.*
Alludebant) *Alluebant.*
Exfternavit) *Dementem fecit.*
Erycina) *Venus, quod Eryce in monte coleretur.*
Piræi) *Piræus Athenarum portus.*
Gortynia) *Gortyn, Urbs Cretæ: ubi labyrinthus.*
Androgeoneæ) *Androgeos Minois filius ab Athenienfibus occiditur. His bello Minos illato, eofque devictos, feptem pueros, totidemque puellas mittere in Cretam coegit, ut Minotaurum alerent.*
Cecropiam) *A Cecrope primo Athenarum Rege.*
Minotauro) *Filius Pafiphaes ex Tauro. Parte fuperiore hominem referebat; taurum inferiore Juffu Minois labyrintho inclufus humanis carnibus fuftentabatur.*
Ipfe) *Quarto anno Thefeus Ægei Athenarum regis filius forte ad Cretam miffus, Minotaurum morti dedit, acceptoque ab Ariadna fili glomere fuga fofpes evafit.*

Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves exspirans castus odores
Lectulus, in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtus,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu misere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quæque regis Colchos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri?
Quum sævum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, lateque & cominus obvia frangens:
Sic domito sævum prosternit corpore Theseus
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,

Er-

Ne funera) *Repetitio Græcis usitatissima.*
Minoa) *Acc. græcus.*
Virgo) *Ariadne.*
Eurotæ) *Eurotas fl. Laconiæ, lauris myrtoque abundat.*
Sancte) *Ad Cupidinem Veneris filium apostroph:.*
Quæque) *Conjuie dicta pag. 34. v. 23.*
Taure) *Taurus mons Asiæ maximus.*

Errabunda regens tenui veſtigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobſervabilis error.
Sed quid ego a primo digreſſus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut conſanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ miſera gnati miſero deperdita leto
Omnibus his Theſei dulcem præferret amorem?
Aut ut vecta ratis ſpumoſa ad litora Diæ?
Aut ut eam triſti devinctam lumina ſomno
Liquerit immemori diſcedens pectore conjunx?
Sæpe illam perhibent, ardenti corde furentem
Clarificas imo fudiſſe e pectore voces.
Ac tum præruptos triſtem conſcendere montes,
Unde aciem in pelagi vaſtos protenderet æſtus:
Tum tremuli ſalis adverſas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina ſuræ:
Atque hæc extremis mæſtam dixiſſe querelis,
Frigidulos udo ſingultus ore cientem;
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deſerto liquiſti in litore, Theſeu?
Siccine diſcedens neglecto numine divum
Immemor ah devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium? tibi nulla fuit clementia præſto;
Immite ut noſtri vellet miſereſcere pectus?
At non hæc quondam nobis promiſſa dediſti
Voce: mihi non hoc miſeræ ſperare jubebas:
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos.

Quæ-

A primo) *Ab inſtituto celebrandarum nuptiarum Pelei. Per correctionem cetera, quæ ad Ariadnen faciunt, proſequitur.*

Ut linquens) *Quomodo Ariadne deſeruit Minoa, Phædram ſororem, ac matrem Paſiphaen.*]

Gnati] *Aut Androgeos a Theſei civibus occiſus, aut ipſe Minotaurus.*

Aut) *Quomodo Theſeus Ariadnen reliquit dormientem.*

Tegmina) *Hic pro cothurnis.*

Suræ) *Sura*, la polpa della gamba.

Siccine) *Ariadnes concio. 1. De Theſei perfidia con-*

Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Queis dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla rapax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis;
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,
Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?

Ille

conqueritur. 2. *Generatim viris minime credendum asserit*. 3. *Beneficiorum meminit*. 4. *Thesei crudelitatem execratur*. 5. *Sui commiserationem excitat*. 6. *Facta infecta vellet*. 7. *Loci, animique angustias detegit*. 8. *Theseum detestatur, atque Averni furias, ut violatæ fidei pœnas ab eo exposcant, precatur*. 9. *Concionem denique Ægei patris ad Theseum commemorat, quum Athenis solveret in Cretam discessurus, ut a Minotauro devoraretur*.

Prægestit apisci) *Valde cupit adipisci*.

Germanum) *Minotaurum*.

Quænam) *Quorum immanitatem execramur, eos e rupibus, mari, efferisve belluis natos dicimus*.

Prisci Parentis) *Cecropis. Cecrops Atheniensium rex primus nuptiarum leges sancivit*.

Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæva
Fors etiam nostris invidit questubus aures.
Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes:
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? ah gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit æquor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui
Respersum Juvenem fraterna cæde secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore?
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea nullo (litus solum) insula tecto:
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus;
Quam justam a divis exposcam prodita multam,
Cælestûmque fidem postrema comprecer hora.

Vacua in alga) *Vacuo in hoc litore.*
Invidit] *Negavit.*
Juppiter) *Elegans Ethopoeja. Dolentes sæpe homines, quæ facta jam sunt, infecta optarent.*
Gnosia) *Cretensis, a Gnosso, Cretæ Insulæ Urbe.*
Dira stipendia) *Italice.* Crudel tributo.
Religasset funem&c.) *Italice.* Sciolto avesse per Creta.
Nec malus) *Theseus.*
Referam) *Vertam.*
Idomeniosne) *Ab Idomene oppido illic exstructo. Per interrogationem, ac subjectionem suam vitæ calamitatem describit.*
Gurgite lato) *Vasto freto.*
Respersum Juvenem) *Theseum Minotauri cæde cruentatum.*

Quare, facta virûm multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras,
Huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego, væ miseræ, extremis proferre medullis,
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo;
Vos nolite pati, nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit;
Tali mente, deæ, funestet seque, suosque.
Has postquam mæsto profudit pectore voces,
Supplicium sævis exposcens anxia fatis:
Annuit invicto celestûm numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec mæsto sustollens signa parenti,
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi quum mœnia Divæ
Linquentem gnatûm ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
GNATE mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ:

Quan-

Eumenides) *Tisiphone, Megæra, Alecto Nocte genitæ, scelerum ultrices.*

Oblito] *Theseus reditionis signa non sustulit, ut ei pater Ægeus indixerat.*

Dulcia signa) *Candida vela.*

Erechtheum) *Athenarum litus, ab rege Erechtheo ita dictum.*

Divæ) *Palladis Athenarum custodis.*

Ægeus) *Thesei pater.*

Gnate (*Ægei ad filium abeuntem ad Cretam Oratio: qua cum Theseo convenit, ut, si Palladis ope Minotauro interfecto sospes Athenas redierit, candidum velum, victoriæ signum, efferat.*

Reddite) *Theseus apud avum Pandionem educatus, ad Patrem adultus rediit,*

Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans,
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis,
Carbasus obscurata dicet ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere Erechthei
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas:
Ut simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem.
Candidaque intorti sustollant vela rudentes:
Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoscam, quum te reducem ætas prospera sistet.
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus:
Quum primum inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.

Signa) *Velum candidum, quod meliori fortunæ congruit.*

Infecta) *Nigra.*

Incendia) *Doloris æstum.*

Carbasus Ibera) *Optima vela ex Hispania.*

Dicet] *Indicet, demonstret.*

Incola sancti Itoni) *Pallas scilicet, quæ Itoni in Bœotiæ urbe colebatur. Itonus Amphictyonis filius Itonum urbem excitavit.*

Funestam vestem) *Ferruginem velum.*

At Pater) *Ægeus adventu navis filium interiisse ratus, præ immodica doloris impatientiæ sese in mare præcipitem jecit.*

Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte, ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tamen adspectans cedentem mæsta carinam
Multiplices animo volvebat saucia curas.
AT parte ex alia florens volitabat Jacchus,
Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos:
Pars e divulso raptabant membra juvenco:
Pars sese tortis serpentibus incingebant:
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Mul-

Ferox) *Superbus ob necem Minotauri.*
Minoidi) *Ariadnæ, Minois filiæ.*
Mente immemori] *Ingrato animo.*
Quæ tamen) *Ariadna.*
At parte ex alia) *Ex altera vestis parte, Thetidis lectum obtegentis, intextus erat Jacchus, seu Bacchus, qui Ariadnæ de Theseo conquerenti de improviso supervenit. Consule Ovid. III. Fest., & VIII. Metamorph.*
Cum thiaso) *Cum turba saltantium Satyrorum.*
Nysigenis Silenis] *Sileni, orum, Bacchi comites; qui & Nysigenæ, ab urbe Nysa, Bacchi patria. Elegantem hic Poetæ narrationem admirate.*
Lymphata mente] *Mente commoti, furentes bacchabantur.*
Thyrsos) *Thyrsus hasta erat aculeata hederis obtecta, quæ in Bacchi orgiis quatiebatur.*
Tortis serpentibus) *Baccho recens nato coronam e serpentibus innexam Parcæ imposuere: hinc Mænades se quoque serpentibus coronabant.*
Obscura orgia] *Bacchi mysteria vimineis asservata cistis, nefas erat spectari.*
Plangebant) *Percutiebant.*

Multis raucisonos efflebant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
TALIBUS amplificæ vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere divis.
Ac quali flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub lumina solis:
Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
Procedunt, leni & resonant plangore cachinni:
Post vento crescente magis magis increbrescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
QUORUM post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favonî;
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,

Efflebant) *Flebilem cornibus sonitum edebant.*

Talibus) *Ad institutum tandem redit Vates. Dixerat jam mortalium multos e Thessalia nuptiarum pompam spectatum venisse; eos discessisse singulos nunc affirmat, adventantibusque diis locum dedisse.*

Decedere) *Cedere diis advenientibus.*

Hic) *Abeuntes Thessalos undis crescentibus, ac paullatim longius decedentibus comparat Vates.*

Cachinni) *Undarum sonitus. Metaph.*

Luce refulgent) *Undæ labentes refulgent.*

Ad se quisque) *In suas quisque ædes.*

Princeps) *Primus. Deorum accessum, munera largientium, enarrat. Prosopographiam, ethopœjamque suspicias hic volo.*

Chiron] *A Pelio Thessaliæ monte Chiron Centaurus advenit. Silvarum fuit accola, Achillisque Præceptor.*

Permulsa &c.] *Queis imbuta suaviter fragravit.*

Tempe, quæ silvæ cingunt superimpendentes,
Xiniasi & linquens Doris celebranda choreis
Bœbiados. Namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine lætanti platano, fletaque sorore
Flammati Phaethontis, & aeria cupressu:
Hæc circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret:
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ:
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus præruptis.
Inde pater divûm sancta cum Conjuge, Natisque,
Advenit cælo, te solum, Phœbe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri.
Pelea nam tecum pariter Soror aspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,

Lar-

Tempe) *n. indecl. n. pl. quæ Peneus alluit.*

Xiniasi) Pro Xiniadibus. *Xiniades paludis Bœbiados nymphæ, cui proximum Xinias oppidum.*

Fletaque sorore) *Cum populo,* Pioppo. *Phaethusa, Lampetie, & Lampetusa, Solis, & Clymenes filiæ, extinctum Phaethontem fratrem ad Padum deflentes, in populos transformantur.*

Phaethontis] *Phaethon obtentis a Phœbo patre solaris currus habenis, cælum, terramque combusturus jam erat. Tum eum Juppiter fulmine e curru excussum in Padum dat præcipitem.*

Solerti corde Prometheus) *Artium omnium inventor Prometheus ferebatur, divorumque a Poetis adscriptus numero.*

Extenuata] *Diminuta. Solutus quippe erat a Caucaso Monte, cui Juppiter eum alligaverat, ob ignem subductum e Solis curru, admotâ faculâ.*

Inde &c.) *Juppiter, ac Juno.*

Unigenam) *Dianam uno partu cum Phœbo genitam, quæ venandi caussa Idrum solebat. Diana, ac Phœbus nuptiis non interfuerunt: hic, quod Achillem sit interfecturus; illa vero, quod conjugium execretur. Idrus autem mons Cariæ, ubi oppida plura Phœbo, ac Dianæ sacra.*

Largæ multiplici constructæ sunt dape mensæ.
QUUM interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora.
Ambrosio niveæ residebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas.
O DECUS eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen Opis, clarissime nato:
Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores,

Infirmo motu) *Debili ob senectutem. Parcæ senio confectæ fingebantur.*

Quercus] *Forte hic pro veste, cui quercus species intexta erat.*

Tyro) *Salmonei filia, lanificii, ac textrini scientissima, cum inferis Diis versabatur.*

Purpurea ora) *Limbo purpureo.*

Læva) *Nentium Parcarum hypotyposis, numeris omnibus absoluta.*

Lanea morsa) *Lanæ villi morsu decerpti.* Lische. *Ut* mansum *a* mandendo: *sic* morsum *a* mordendo. *Catullum Laurentius Medices imitatus est,*

Sempre al labbro ha qualche lisca
Del filar, che la morseggia.

Calathisci) *Calathiscus, i*, cestelletta.
Emathiæ) *Pro Thessalia.*
Opis) *Pro Terra. Metonymia.*

Veridicum oraclum, serves quæ fata sequuntur.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Qua tibi flexanimo mentem perfundat amore:
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nulla domus tales umquam contexit amores.
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes;
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea prævertet celeris vestigia cervæ.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros.
Quum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi:
Troicaque obsidens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Fl-

Serves) *Observes; inquiunt, futuros casus, eosque cum vaticinio conferas, ut ipsius veritatem rerum eventu dignoscas.*

Subtemina) *Subtemen, inis*, Trama, o sian fili da riempier la tela.

Achilles) *Pelei ac Thetidis futurus filius.*

Flammea) *Rapidissima.*

Teucro) *Maxima Teucris damna Achilles illaturus.*

Pelopis tertius heres) *Agamemnon scilicet Atrei filius. Pelopis nepos, Dux expeditionis in Teucros ob Helenæ raptum: qui ex eo* tertius heres *dicitur, quod duos heredes, seu filios habuerit Pelops, Atreum, & Thyestem.*

Perjuri Pelopis) *Curule certamen ea lege proponit Oenomaus, ut Ippodamia filia victori nubat; mortem victus subeat. Pelops autem Myrtilum aurigam pretio corrumpit, ut infirmos axes Oenomai currui subjungat. Tum Oenomaus cum curru corruit, membrisque collisis moritur. Pelops vero pacti immemor fidei in mare Myrtilum dejicit: atque hinc* perjurus *vocatur.*

Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum in cinerem canos solvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Namque velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva:
Trojugenûm infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quojus iter cæsis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permista flumina cæde.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Denique testis erit morti quoque reddita præda:
Quum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsæ Virginis artus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia solvere vincla:
Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra.
Quæ, velut ancipiti succumbens victima ferro
Projiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Quare agite optatos animi conjungite amores.

Scamandri) *Scamander idem, ac Xanthus, qui Trojam irrigabat.*

Tepefaciet). *Producta secunda.*

Reddita præda) *Achilli vita jam functo data est Polyxena, quasi præpæ pars, cui vivo promissa olim fuerat. Capta vero Troja, quum Pyrrho Achillis filio Virgo obtigisset, ad patris sepulcrum eam mactavit.*

Teres bustum) Locus, *in quo cadavera comburebantur, extincto rogo*, Bustum *dicebant Veteres*. Teres *autem hic* bustum *vocat Catullus, propter cippum, aut columnam tumulo Achillis impositam, quæ longe conspici poterat.*

Excelso aggere) *Nempe in vertice Sigæi promuntorii.*

Perculsæ] *Mactatæ victimarum more.*

Fors) *Fortuna.*

Trojæ vincula) *Trojæ muros.*

Accipiat conjux felici fœdere divam,
Dedatur cupido jamdudum nupta marito.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis mæsta puellæ
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.

TALIA præfantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præsentes namque ante domos invisere castas
Heroum, & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ, nondum sperata pietate, solebant.
Sæpe Pater divûm templo in fulgente revisens,
Annua quum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit:
Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent læti divûm spumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis Hera, aut Rhamnusia virgo

Ar-

Hesterno) *Post nuptias collum fieri latius putabatur.*
Discordis) *Proficiscentis, metaphora ab amne ducta, quem discordem ex eo dicit Horatius, quod in duas se diffindat partes: sensusque est: Mater mæsta ob Thetidem a se abeuntem spe nepotum solatur.*
Spreta pietate) *Quandiu pietatem homines coluere; Dii cum iis familiariter egerunt. Ex quo tamen vitiis inquinata sunt omnia, videri se a mortalibus noluerunt.*
Liber) *Apollo. Bacchum & Apollinem unum eumdemque facit Macrobius Saturnal.* 18.
Thyadas) *Thyades, Bacchi sacrificulæ.*
Lacti] *Pro læte. Sic veteres.*
Delphi] *Oppidum sub Parnasso.*
Tritonis hera) *Pallas, quæ ad Tritonem amnem nata fertur.*
Rhamnusia] *Nemesis, ab Rhamno Atticæ pago dicta Rhamnusia.*

Armatas hominum eſt præſens hortata catervas.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbúta nefando,
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres:
Deſtitit extinctos natus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera nati,
Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore
Juſtificam nobis mentem avertere deorum.
Quare nec tales dignantur viſere coetus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Contingi &c.] *Aperta in luce videri*.

C. VALERII CATULLI VERONENSIS

ELEGICORUM, ET EPIGRAMMATUM

LIBER III.

I.

PROMISERAT Catullus Hortalo familiari suo, se Callimachi Elegiam de Berenices coma latinis numeris redditurum. Id igitur, etsi Fratris obitu præpeditum, præstitisse tamen se dicit, ne promissis immemor videretur.

AD HORTALUM.

ETSI me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus :
Nec potis est dulces Musarum expromere fetus
Mens animi : tantis fluctuat ipsa malis :
(Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.
Troïa Rhœteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.

(Ad-

ADNOTATIONES.

Cura) *Mæror, ex Fratris morte.*
Sevocat) *Separat.*
Virginibus) *Musæ.*
Fetus) *Versus.*
Mens animi) *Ingenium.*
Namque) *Ordo est: Namque unda manans nuper alluit pedem pallidulum Fratris mei in Lethæo gurgite. Lethe autem Erebi fluvius. Digreditur Vates ad doloris magnitudinem explicandam.*
Troïa] *Fuit Rhæteo in litore. Illic Catulli Frater periit.*

[Alloquar? audierone umquam tua facta loquentem?]
Numquam ego te vita Frater amabilior
Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
Semper mæsta tua carmina morte canam.
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, absumti fata gemens Ityli.)
Sed tamen in tantis mæroribus, Hortale, mitto
Hæc excerpta tibi carmina Battiadæ:
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo:
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decursu.
Huic manat tristi conscius ore rubor.

PTO-

Daulias) *Philomela, a regione Daulia prope Atticam Daulias appellata.*

Ityli) *Itylus, seu Itys, & Ityn Terei, ac Prognes filius, Philomelæ vi Tereus illita linguam abscidit. Furore acta soror Progne Ityn filium discerptum Tereo epulandum apposuit. Re hic cognita, dum Prognen interfecturus persequitur, in Hirundinem mutatam videt. Tum Itys in Fasianum, Philomela in avem sui nominis, Tereus in Upupam convertuntur. Consule Ovid VI. Metam Hanc vero comparationem ex Homero Odyss. lib. XVIIII. v.516. excerpsit Catullus.*

Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν.
Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.

Arborum in foliis sedens densis,
Filium lugens Itylum dilectum.

Battiadæ) *Callimachus Cyrenæus, vel a Batto patre, vel a Batto Cyrenæorum conditore,* Battiades *dictus.*

Excerpta) *Selecta.*

Ne tua &c.) *Ne putes tua dicta ex meo animo ita effluxisse, ut malum (* pomo *) decidit e gremio Virginis inopinato matris adventu exsurgentis.*

I. I.

PTOLEMAEUS cognomento Evergetes Ægyptorum Rex Berenicen in matrimonio habuit. Paullo post in Asſyrios proficiſcitur. Uxor Cæſariem ſuam Veneri vovit, ſi Conjux ſoſpes regrederetur. Voti compos facta crinem in Veneris æde appendit: quo tamen poſtridie haud reperto, Conon Mathematicus Berenicæ perſuaſit, converſam in ſidus Cæſariem fuiſſe. Hoc de Sidere Callimachus loquitur, cujus carmen interpretatur Catullus.

DE COMA BERENICES.

OMNIA qui magni diſpexit lumina mundi,
Qui ſtellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi Solis nitor obſcuretur,
Ut cedant certis ſidera temporibus:
Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans,
Dulcis amor gyro devocet aerio:
Idem me, ille Conon cæleſti in lumine vidit
E Bereniceo vertice cæſariem
Fulgentem clare: quam multis illa deorum,

Le-

ADNOTATIONES.

Omnia) *Per proſopopoejam ſidus ipſum Cononem a ſingulari cæleſtium rerum ſcientia commendat. Ordo tamen eſt: Conon ille, qui diſpexit. &c. &c.; idem vidit me, &c.*

Diſpexit] *Diſquiſivit, accurate perluſtravit.*

Lumina) *Sidera.*

Comperit) *Detexit ante parum cognitos.*

Cedant) *Decedant, occidant.*

Triviam) *Lunam. Conſule pag. 32. v. 16. ad Latmium montem Luna deſcendebat, Endymionem inviſura.*

Dulcis amor) *Endymion. Metonymia.*

Ille Conon) *To ille Viri excellentiam notat.*

Cæleſti in lumine) *In cælo tot ſideribus refulgente.*

E Bereniceo vertice) *E capite Berenices.*

Illa) *Berenice.*

Multis Deorum) *Multis Deabus, grate dictum.*

Levia protendens brachia pollicita est;
Qua rex tempestate novo auctus hymenæo
Vastatum fines iverat Assyrios,
Dulcia clamosæ portans vestigia pugnæ,
Quam de nobilibus gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, iverint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo prœlia torva viro.
Et tu non orbum lûxti deserta cubile,
Et fratris cari flebile discidium,
Quum penitus mæstas exedit cura medullas;
Ut tibi tunc toto pectore sollicitæ
Sensibus e rectis mens excidit? at te ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es

Con-

Levia &c.) *Tenera ad cælum tollens brachia.*

Auctus hymenæo) *Uxore ducta. Auctus filiolo, dixit Cicero.*

Assyrios) *Assyrios inter, Ægyptiosque diu pugnatum.*

Estne) *Ait coma, ambigere se, fictisne, an veris lacrimis, parentum lætitiam novæ obturbent Sponsæ: idque ex eo, quod Berenice, abeunte viro, vicem suam questa graviter fuerit.*

Frustrantur) *Frustrari videntur.*

Non ita) *Ordo est: Non gemunt vera, ita Divi me iuverint. Pro juverint. Vetus jurandi formula.*

Novo viro] *Ptolemæo, cui modo nupserat.*

Prælia torva) *Quod militum est, ad bellum transtulit.*

Et tu] *Ptolemæi discessu doluisse Berenicen ex eo asserit Coma, quod & Conjux ipsi fuerit, & Frater.*

Discidium) *Hic pro absentia.*

Quum] *Quandoquidem.*

Magnanimam) *Bellatrix fuerat Berenice.*

Quo regium) *Præclaris facinoribus Fratris conjugium sibi promeruit.*

Conjugum, quod non fortior ausit alis?
Sed tum mæsta virum mittens, quæ verba locuta es?
Juppiter, ut tristi lumina sæpe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?
At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci Conjuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset! Is haut in tempore longo
Captam Asiam Ægypti finibus addiderat.
Queis ego pro factis cælesti reddita cœtu
Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
Invita, adjuro teque, tuumque caput,
Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
Pro-

Ausit alis) *Alius, Sic Veteres. Quod facinus nemo alius e numero fortium perficere ausus esset.*

Mittens) *Dimittens.* Accommiatando.

Tristi) *Trivisti.*

Non sine sanguine) *Cum sanguine scilicet taurorum. Pollicita Diis quoque fueras majores hostias, nempe taurorum mactationem.*

Haut) *Haud.*

Captam Asiam) *Victam ferro Syriam, Asiæ partem.*

Queis ego) *Pro quibus Viri triumphis ego Cæsaries reddita cælesti cœtu* (cœtui) *dissolvo vota pristina munere novo, scilicet non antea excogitato. Quæ Diis promissa sunt, reddi dicuntur.*

Adjuro] *Solenne Græcis jurandi genus.*

Digna ferat) *Ordo est. Quod caput siquis adjuravit inaniter, digna ferat, h. e. pœnas perjurio dignas. Adjurare inaniter.* Spergiurare.

Sed qui). *Quis sibi arroget se esse parem, seu obsistere posse ferro?*

Ille quoque) *Argumentum a majori. Si montes ferro exscinduntur, quid capillis fiet? Athon montem perfodit Xerxes, fretoque pervium fecit.*

Maximum in oris) *Altissimum in litoribus.*

Progenies Thiæ clara supervehitur.
Quum Medi peperere novum mare: quumque juventus
Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
Juppiter, ut χαλύβων omne genus pereat!
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri fingere duritiem.
Abjunctæ paullo ante comæ mea fata sorores
Lugebant; quum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.

Isque

Progenies Thiæ) *Medi. Thia ex Hyperione Solem, Sol Æetam Colchorum regem peperit, ejusque filii Medea, & Medus. Hinc Medorum gens.*

Supervehitur) *Supervecta est. Enallage.*

Novum mare) *Ægei maris aquas ad usque Athon duxerunt Medi.*

Classi navit) *Classe navigavit.*

Χαλύβων) χάλυψ, -υβος *pro ferri acie græce usurpatur.*

Principio) *Primum.*

Venas) *Ferri metalla.*

Institit) *Italicè:* S'impegnò, s'industriò, si ostinò.

Fingere) *Formare, malleo ducere.*

Abjunctæ) *Ordo est. Sorores comæ paullo ante abjunctæ lugebant fata mea; quum* Zephyrus *ales equus Arsinoes Cloridos unigena Memnonis Æthiopis impellens aera pennis nutantibus obtulit se.*

Abjunctæ) *Disjunctæ.*

Mea fata) *Meum infortunium.*

Comæ sorores] *Crinis ad tempora, ad frontem, ad occipitum relicti.*

Memnonis) *Memnon Æthiops Titoni ex Aurora filius.*

Unigena) *Frater uterinus: Venti quidem Auroræ, sed ex Astræo, feruntur filii.*

Obtulit se) *Exhibuit, stitit se.*

Arsinoes Chloridos) *Quæ & Zephyritis. Berenice fuit filia Arsinoes ex Philadelpho. Arsinoen vero Diis patriis mox annumeratam, sub nomine Veneris, Arsinoes Chloridos, Zephyritidis, Ægyptii coluerunt.*

Ales equus] *Zephyrus, qui Chloridi florum dea tribuitur.*

Isque per ætherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famu'um legarat,
Grata Canopiis in loca litoribus.
Sidere ibi vario ne solum in lumine cæli,
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa Corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.
Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deûm me
Sidus in antiquis Diva novum posuit.
Virginis & sævi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto justa Lycaonida,
Vertor in occasum tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.

Sed

Umbras) *De nocte sublata fuerat coma.*

Famulum legarat) *Miserat Zephyrum quasi legatum.*

Grata in loca) *In Ægyptum, cujus olim fuit Domina.*

Canopiis) *A Canopo Ægypti urbe.*

In lumine cæli) *In Cælo sideribus relucente.*

Ex Ariadneis] *Sensus est: Ne corona ex Ariadnæ capite decerpta, fixa tantum cælo fulgeret. Bacchus Ariadnam sponsam in cælum transtulit, & coronam novem distinctam gemmis, Veneris donum, astris intulit, gemmasque in totidem convertit stellas.*

Devotæ] *Diis promissæ*

Vuidulum) *Ordo est. Diva* Venus *posuit me* crinem *uvidulum a fluctu accedentem ad Templa Deorum* & Cælum) *sidus novum in antiquis* sideribus. *Itaque Berenices crinem maris hesperii undis imbutum Venus in Cælum denuo sustulit. Astra in mare mergi putabantur.*

Virginis) *Erigonis. Vicinorum siderum enumeratione, locum, quo posita fuerat Coma, indicat: sc. prope Virginem, Leonem, Callisto Lycaonida, seu Licaonis filiam, seu Ursam, & Booten, qui ex eo* tardus *dicitur, quod sero occidat. Ubi* justa *pro* juxta, *ultima correpta.*

Dux) *Prior Boote.*

Sed quamquam me nocte premunt vestigia Divûm,
Luce autem canæ Tethyi restituor
(Pace tua fari hæc liceat, Rhamnusia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam.
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin vere pectoris evoluam)
Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominæ vertice discrucior,
Quicum ego, quum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, murrhæ millia multa bibi.
Nunc magis, o nuptæ, semper concordia vestras,
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens quum sidera, divam
Placabis festis luminibus Venerem;
Unguinis expertem non siveris esse: tuam me
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur iterent? utinam coma regia fiam.
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion. QUUM

Sed &c.) *Etsi, inquit, noctu sim sub pedibus Deorum, atque interdiu gremio me excipiat Tethys; de his tamen non tantum oblector, quantum, quod Reginæ capiti non hæream, doleo.*

Canæ Tethyi] *Tethys Oceani mater.*

Abfore) *Discrucior, quod absutura sim.*

Rhamnusia] *Nemesis.*

Quicum ego) *Cum qua.*

Omnibus &c.) *Nullis delibuta unguentis. Honestiores quippe Virgines non unguentis, quæ composita erant, sed murrha, seu stacte, simplici plantæ succo, comas perspergebant.*

Tu vero) *Regina.*

Unguinis) *Unguen, inis.* Unguento.

Tuam &c.) *Ait coma: quamdiu sidera inter versabor; ungentorum effusione me colito. Quod si muneribus a venere obtinueris, ut tua rursus fiam; longe gratior mihi res accidet.*

Iterent) *Supple Dii. Quid Dii sidera geminent?*

Proximus) *Nil curabo, quod Hydrochous, & Oarion*

[Orion] *sidera pluvia, at disjunctissima, jungantur, ut orbem inundent.*

Hydrochoi) *Tertius est casus.* Aquario.

Fulgeret] *A fulgero, de quo nil apud Lexiographos.*

III.

QUUM in duris, acerbisque rebus Manlius fuisset, carmina, quæ sibi solatio forent, a Catullo expetierat. Vates itaque primum ait, gratam sibi eam esse amicitiæ significationem: deinde versibus condendis ex eo imparem se prædicat, quod & dolore ex Fratris obitu opprimatur, & omni librorum ope destitutus sit: tum beneficia a Manlio apud se posita commemorat: eique postremo a Themide dea felicia comprecatur omnia.

AD MANLIUM.

QUOD mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
Naufragum ut ejectum spumantibus æquoris undis
Sublevem, & a mortis limine restituam:
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto cœlibe perpetitur:
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
Oblectant, quum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
Muneraque, & Musarum hinc petis, & Charitum.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,

Nec

ADNOTATIONES.

Epistolium) *Brevem epistolam.*

Restituam) *Retraham, reducam. Sic Lucretius lib. II. v.* 960.

Nam, quare potius leti jam limine ab ipso
Ad vitam possint conjecta mente reverti,
Quam, quo decursum prope jam siet, ire, & abire?

Molli somno) *Ovidius in Remediis v.* 145.

Languor & immodici nullo sub vindice somni
Aleaque, & multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animo sine vulnere nervos.

Veterum) *Poetarum præsertim græcorum, quos assidue versabat Catullus.*

Neu me odisse putes hospitis officium;
Accipe, queis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Jucundum quum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit: o misero Frater ademte mihi!
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, Frater.
Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ergo interitu tota de mente fugavi
Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis Veronæ turpe Catullo
Esse: quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili;
Id, Manli, non est turpe: magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus, ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam quod scriptorum non magna est copia apud me;
Hoc fit, quod Romæ vivimus; illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:

Huc

Hospitis] *Manlius Veronæ apud Catullum diver.tebat.*

Vestis pura) *Virilis toga, quam, seposita prætexta, adolescentes ætatis anno XVI. induebant. Unicolor erat, & candida.*

Dulcem amaritiem) *Reddimus ex Petrarca:* Dolce amaro.

Esse) *Commorari.*

Hic) *Ißic Romæ. Enallage.*

Quisquis de meliore nota) *Ditissimus quisquis.*

Magis] *Potius.*

Scriptorum) *Librorum. Ad manus libros non habebat ad carmina condenda.*

Fit) *Accidit.*

Romæ vivimus] *Veronæ otiamur; Romæ autem laboramus.*

Carpitur) *Deteritur, consumitur.*

Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod quum ita sit, nolim statuas, me mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petendi copia facta est:
Ultro ergo deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, Deæ, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis;
Ne fugiens sæclis obliviscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis
Millibus: & facite hæc charta loquatur anus.
Omnibus inque locis celebretur fama sepulti.
Notescatque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
In deserto Auli nomine opus faciat.
Nam mihi quum dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, & in quo me torruerit genere:
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis,

Mæ-

Capsula) *Parva capsa.* Cassettina, cassettino. *Ex multis, librorum capsis unam, eamque exiguam huc convexi.*

Nolim statuas) *Nolim judices.*

Ultro ego deferrem] *Sponte tibi gratificarer.*

Deæ] Musæ. *Manlii beneficiorum meminit, cui nominis immortalitatem precatur.*

Omnibus) *Catulli versum hunc non esse monet Scaliger.*

Auli) *Manlio Aulus forte prænomen fuit.*

In deserto nomine) *In titulo statuæ supposita.*

Duplex Amathusia) *Venus ab Amathunte Cypri urbe, ubi colebatur:* Duplex *vocatur, quod ejus mores fallace sint.*

Trinacria rupes) *Ætna in Sicilia, cui Trinacriæ nomen tria indiderunt Promuntoria, græce ἄκραι: Pelorus,* Capo di Faro, *Pachynum,* capo Passero, *Lilybæum,* Capo Boco, *o* Coco.

Lymphaque Malia) *Thermæ in Oeta monte ad Thermopylas, a Maliensi agro Maliæ appellatæ*

Thermopylæ] *A Thermis ita dictæ, fuerunt angustæ fauces inter mare, præruptosque montes, eorumque inaccessos aditus πύλας Græci vocarunt.*

Mæſta neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu
Ceſſarent, triſtique imbre madere genæ.
Qualis in aerii pellucens vertice montis
Rivus, muſcoſo proſilit e lapide.
Qui quum de prona præceps valle volutus,
Per medium denſi tranſit iter populi,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen,
Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros.
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit,
Jam prece Pollucis jam Caſtoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clauſum lato patefecit limite campum,
Iſque domum nobis, iſque dedit dominam:
Ad quam ſecuros exerceremus amores;
Quo mea ſe molli candida Diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta conſtituit ſolea:
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
Proteſilaeam Laodamia domum
Inceptam fruſtra, nondum quum ſanguine ſacro Ho-

Proſilit) *Italice*: Spiccia.

De.. volutus) *Tmeſis*.

Per medium populum) *Per pagum frequentem*.

Hiulcat) *Findit*.

Jam prece &c) *Modo Pollucis, modo Caſtoris auxilio invocato. Vide pag.* 10. *v.* 11.

Candida Diva) *Sponſa Veneri æquiparanda*.

Arguta ſolea) *Vel concinna, brevi pedi accommodata, vel ſtridula, quæ inter ambulandum crepitum edebat.*

Conjugis) *Digreditur ad Laodamiæ Acaſti filiæ receſſum in Proteſilai domum, cui puellæ a Manlio ſibi conceſſæ adventum comparat. Sicut Laodamiæ conjugium infauſtum fuit, quod connubii ſacris haud peractis nupſerat; ita minus proſpere nuptias ſibi ceſſiſſe ex eo aſſerit Catullus, quod Deos conjugii Præſides rite non advocarit. Hæc dum proſequitur, ad Fratris obitum artificioſe redit.*

Inceptam fruſtra) *Imperfectam. Qui uxorem ducebat*, familiam ordiri; *quum liberos ſuſcepiſſet*, perficere *dicebatur*.

Hostia cælestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cœperat ad sese Troja ciere viros:
Troja nefas. commune sepulcrum Asiæ, Europæque;
Troja virûm, & virtutum omnium acerba cinis.
Quæmet & id nostro letum miserabile Fratri
Attulit: hei misero Frater ademte mihi!
Hei misero Fratri jucundum lumen ademtum!
Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscena, Troja infelice sepultum

Deti-

Hostia) *Victimæ ante nuptias mactabantur.*

Jejuna ara] *Ara sanguine non imbuta.*

Quod scibant) *Quod* conjugium scibant *Parcæ brevi abruptum iri.*

Si miles) *Si Protesilaus militatum in Ilium ivisset. Ad Trojam omnium primus ab Hectore interfectus periit.*

Cœperat] *Invitabat quodammodo Troja Græcorum proceres ad ultionem ex eo tempore, quo Helena Menelai uxor a Paride abducta Trojam avecta fuit.*

Troja nefas) *Abominata, infanda.*

Commune sepulcrum) *Græci ex Europa, ac Teucri ex Asia eo in bello interierunt.*

Quæmet] *Arrepta occasione ad Fratrem regreditur.*

Lumen) *Vitam.*

Non inter nota) *Familiaria scilicet.*

Compositum) *Mortuorum ossa ex rogo superstites Propinqui legebant, condebant urnis, ac sepulcris collocabant: quod* componere *dicebatur.*

Obscena). *Sinistris auspiciis condita.* Obscenum *opponitur hic* augusto.

Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abductâ gavisus libera Grajâ
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vitâ dulcius, atque animâ
Cunjugium: tanto te absorbens vortice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graji Pheneum prope Cylleneum
Siccari emulsa pingue palude solum,
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certâ Stymphalia monstra sagittâ
Perculit, imperio deterioris heri.
Pluribus ut Cæli tereretur januâ divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod Divum domitum ferre jugum docuit.

E Nam

Paris) *Vid. pag. 96. v. 31.*
Libera otia (*Libera ab hostium metu*.
Quo casu) *Quo Trojani belli eventu*.
Pheneum) *Pheneus Arcadiæ urbs in Cyllene monte. Hercules Tirynthe pulsus Pheneum se r cepit : Olbioque amne Pheneaticum agrum obsidente, fossam duxit sub vicinos montes excurrentem, in quam palud s defluerent*. Emulsa *hic* palude *valet*, absorpta, hausta.
Falsiparens) *Hercules ab Jove genitus ex Alcmena Amphitryonis conjuge, Amphitryonis filius habebatur*.
Stymphalia monstra) *Aves ad Stymphalas aquas humana vistitantes carne, sagittis Herculcs confecit, jussu Eurysthei Mycenarum pessimi regis*.
Pluribus &c.) *Deus tandem fit, Hebe juventutis dea in matrimonium ducta*.
Tuus altus) *Laodamiam alloquitur*.
Divum) *Herculem. Sensus est : Tuus altus amor altior fuit eo barathro, seu* amore altissimo, *quo Eurystheum Hercules prosequebatur : quo jubente jugum subibat, seu labores omnes suscipiebat*.

Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri nata nepotis alit:
Qui quum, divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen teſtatas intulit in tabulas,
Impia deriſi gentilis gaudia tollens,
Suſcitat a cano vulturium capite.
Sed tu olim magnos viciſti ſola furores,
Ut ſemel es flavo conciliata viro.
Aut nihil, aut paullo quoi tum concedere digna
Lux mea ſe noſtrum contulit in thalamum,
Quam circumcurſans hinc illinc ſæpe Cupido
Fulgebat, crocina candidus in tunica.
Hoc tibi, quod potui confectum carmine munus,
Pro multis aliis redditur officiis;
Ne veſtrum ſcabra tangat rubigine nomen.
Hæc, atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent divi quamplurima, quæ Themis olim An-

Nam neque) *Proteſilaus, inquit, longe carior fuit Laodamiæ, quam ſerus nepos natus Avo ſenio jam confecto poſt ſignatas teſtamenti tabulas pro aliquo ex ſua gente: qui nepos frangit teſtamentum, ac gentilis gaudia fruſtratur, qui, ceu vultur, capiti Senis, ejus bona inhians, imminebat.* Vulturii, & Corvi *dicebantur* Captatores, *ſeu* heredipetæ.

Una nata) *Unica filia alit,* educat *caput ſeri nepotis tam carum parenti confecto ætate.* Caput *hic pro ipſo nepote.*

Inventus) *Subaudi* heres.

Furores) *Omnem ingentem amorem.*

Conciliata) *Nupta.*

Aut nihil] *Ad rem redit; inquit enim. Sponſam ſibi a Manlio conceſſam, vel Hippodamiæ ſupparem, vel vix inferiorem eſſe.* Concedere *pro* Cedere: *&* Lux *pro* Sponſa.

Quam] *Circum ſponſam volitare Cupidinem fingit.* Tunica *autem* crocina, *ſeu* crocea, *idem quod* epicrocum.

Hæc] *Catullum imitatur Areoſtus c.45. Rol Fur. Str. 51.*

E tanto e un giorno e un altro, e un altro andaro,
Che in Francia, ed a Parigi ſi trovaro.

Themis) *Ultima carminis pars. Themis dea cœli, terræque filia, pœnas ſceleribus, benefactis, præmia diſpenſabat.*

Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices & tu simul, & tua Vita,
Et domus, ipse in qua lusimus & domina.
Et qui principio nobis terram dedit, auctore
A quo sunt primo omnia nata bona.
Et longe ante omnes, mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea: quà vivâ vivere dulce mihi est.

Vita) *Conjux*.

IIII.

JANUAM cum seipso colloquentem inducit Vates.

CATULLUS.

O DULCI jucunda viro, jucunda parenti,
Salve, teque bona Juppiter auctet ope,
Janua: quam Balbo dicunt servisse benigne
Olim, quum sedes ipse senex tenuit:
Quamque ferunt rursus voto servisse maligno,
Postquam es porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem?

JANUA.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc sum
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam.
Verum isti populi Janua quid faciat?
Qui quacumque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant: Janua, culpa tua est.

CATULLUS.

Non istuc satis est uno te dicere verbo:
Sed facere, ut quivis sentiat, & videat.

JANUA.

Qui possum? nemo quærit, nec scire laborat.

CATULLUS.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

ADNOTATIONES.

O dulci) *Grata marito, ejusque patri, te Juppiter auxilio augeat suo.*

Maligno] *Desiderio maligno inservit Janua, quum domina*, porrecto, *seu* extincto *viro, alteri nupsisset. Quod de Domina est, ad Januam transfert.*

Non, ita) *Janua, per Cecilium dominum jurans, se nullius esse ream criminis dicit.*

Quid faciat) *Formula se excusantis.*

Istuc) *Istud.*

Dicere uno verbo) *Simpliciter affirmare.*

Laborat) *Curat.*

V.

INTEGRITATE suæ conscientiæ semet primum solatur: tum hortatur se ad curas omnes ex animo projiciendas: deinde Deos, ut opem ferant, rogat.

AD SEIPSUM.

SIQUA recordanti bene facta priora voluptas
  Est homini, quum se cogitat esse pium:
Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo
  Divûm ad fallendos numine abusum homines;
Multa parata manent in longa ætate, Catulle,
  Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcumque homines bene quosquam aut dicere
  Aut facere: hæc a te dictaque, factaque sunt. (possunt,
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
  Quare jam te cur amplius excrucies?
Quin tu animum obfirmas, atque istinc usque reducis,
  Et, diis invitis, desinis esse miser?
Difficile est, longum subito deponere amorem.
  Difficile est: verum hoc qualubet, efficias.
Una salus hæc est, hoc est tibi pervincendum.
  Hoc facito, sive id non pote, sive pote.
O dii, si vestrum est misereri, aut si quibus umquam
  Extrema jam ipsa in morte tulistis opem;
Me miserum aspicite: &, si vitam puriter egi,

Eri-

Eripite hanc pestem, perniciemque mihi.
Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa,
Aut, quod non potis est, esse pudica velit:
Ipse valere opto, & tetrum hunc deponere morbum
O dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

ADNOTATIONES.

Omnia quæ) *Quæ quidem omnia perierunt.*

Quin tu) *Cur non animum obdures? Quin reducas, seu removeas te usque* (in perpetuum) *ab omni familiaritatis genere.*

Diis invitis) *Diis invitis nil fidendum, instar proverbii erat.*

VI.

MULIERUM levitatem exagitat.

IN MULIERES.

NULLI se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi: non si se Juppiter ipse petat.
Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.

VII.

DE ingrati animi vitio gravissime queritur.

IN INGRATUM.

DESINE de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam tædet, statque magisque magis.
Væ mihi, quem nemo gravius, nec acerbius urget:
Quam modo qui me unum, atque unicum amicum habuit.

ADNOTATIONES.

Nihil) *Pro nihilo habetur te opitulatum fuisse*. Benigne *facere*, *est hic* largiri, opitulari.

Statque) *Certum est*, abstinere *magis ac magis* a benefaciendo.

VIII.

INCONSTANTIAM Lesbiae persequitur.

IN LESBIAM.

NULLA potest mulier tantum se dicere amatam
  Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea es.
Nulla fides ullo fuit umquam foedere tanta;
  Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Nunc est mens abducta tuâ mea, Lesbia, culpa,
  Atque ita se officio perdidit ipsa pio:
Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias;
  Nec desistere amare, omnia si facias.

ADNOTATIONES.

In amore tuo) *In amore tui*.

Omnia) *Omnia facere est*: Nullum lapidem non movere.

VIIII.

EXPOSTULAT cum Rufo, quod iccirco in suam amicitiam se insinuarit, ut, quicquid ei carissimum foret, eriperet.

AD RUFUM.

RUFE, mihi frustra, ac nequicquam credite amice,
  (Frustra? immo magno cum pretio, atque malo.)
Siccine subrêpsti mî, atque intestina perurens
  Mî misero, eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti: heu heu nostrae crudele venenum

Vi

Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitiæ;
Verum id non impune feres: nam te omnia sæcla
Noscent; &, qui sis, fama loquetur anus.

ADNOTATIONES.

Subrepsti) *Subrepsisti, a subrepo.*

X.

CUM *Quintio amice agit; ne, quod sibi jucundius, cariusque est, subripiat.*

AD QUINTUM.

QUINTI, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis;
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, si quid carius est oculis.

XI.

NIMIS festive Arrium perstringit Vates, quod inter pronuntiandum temere aspiratione H uteretur.

DE ARRIO.

CHOMMODA dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & *hinsidias* Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Quum quantum poterat, dixerat *hinsidias*.
Credo sic mater, sic liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Quum subito affertur nuntius horribilis:
Jonios fluctus, postquam illuc Arrius isset;
Jam non Ionios esse, sed *Hionios*.

Audibant) *Audiebant.*
Postilla) *Postea. Sic Veteres.*

BENEDICTI BUONMATTEI INTERPRETATIO.

CHOMODI Ario per COMODI soleva
  Dire, ed HINSIDIE; e volea dire INSIDIE.
E allor credea parlar molto elegante;
  Ch' e' profferia con molta forza HINSIDIE.
Così parlò, cred' io, la Madre, e 'l Figlio;
  Così materno Zio, Nonno, Ava, e tutti.
Ei gito in Siria, ognun chetò l'orecchie;
  Che udia COMODI, e INSIDIE più soavi,
Nè temea più sentir sì atroci note.
  Quand' orribil novella a noi perviene,
Che l'onde JONIE, avendole Ario scorse,
  Non son più JONIE, omai son fatte HIONIE.

XII.

SE amare, atque odisse uno eodemque tempore profitetur.

DE SEIPSO.

ODI, & amo: quare id faciam, fortasse requiris,
  Nescio: sed fieri sentio, & excrucior.

XIII.

QUINTIAM Lesbia comparat, atque hanc illi præfert.

DE QUINTIA, ET LESBIA.

QUINTIA formosa est multis: mihi candida, longa,
  Recta est: hoc ego; sic singula confiteor.
Totum illud, FORMOSA, nego: nam nulla venustas,
  Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est: quæ quum pulcherrima tota est,
  Tum omnibus una omnes surripuit veneres.

AMA.

XIIII.

AMARI se ab uxore dicit (quamquam maledictis ab ipsa exagitetur) ex eo, quod ipse in eam quoque maledicta conjiciat, eamque tamen diligat.

DE LESBIA.

LESBIA mi dicit semper male, nec tacet umquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.
Quo signo? quasi non totidem mox deprecer illi
Assidue: verum dispeream, nisi amo.

XV.

C. J. Cæsarem Romanæ Reipublicæ principem a se flocci-fieri asserit.

IN CAESAREM.

NIL nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere:
Nec scire utrum sis albus, an ater homo.

XVI.

C. CORNELII Helvii Cinnæ poema, quod Zmyrna inscribebatur, novem, decemve annos elaboratum, commendat. Contra, Hortensii in faciendis versibus celeritatem irridet: Volusii quoque annales brevi interituros prædicit. Tum demum parva, sed culta poemata, verbosis, inconditisque, qualia Antimachi fuerunt, præponit.

DE POEMATE ZMYRNA C. CORNELII HELVII CINNAE.

ZMYRNA mei Cinnæ nonam post denique messem
Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem;
Millia quum interea quingenta Hortensius uno
In pede stans uno carmina ructat hians.
Illa cavas barathri penitus mittentur ad undas,
Zmynam incana diu sæcula pervoluent,

At Volusi annales Aduam morientur ad ipsum,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monimenta laboris,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

ADNOTATIONES.

In pede) *De penu* CL. *V. Parthenii prodiit versus hic.*
Illa) *Carmina sc. Hortensii oblivioni dabuntur.*
Incana) *Valde cana.*
Aduam) *Transpadanæ regionis amnem.*
Laxas tunicas) *Prolixas chartas. Volusii Annales ex ingentibus confecti erant chartis.* Scombrus, & scomber, *piscis genus.* Scombro
Antimacho) *Thebanum bellum ab ovo exorsus Antimachus viginti & quatuor confecit volumina: nec duces adhuc Thebas duxerat. Tumidum vocat ob stilum, operisque molem.*

XVII.

C. LICINIUS *Calvus Quintiliam uxorem in ipso juventiæ flore sibi præreptam elegis cultissimis deflebat. Hos itaque elegos commendat Vates, aitque, Quintiliæ non tanto dolori immaturam fuisse mortem; quanto ei solatio sit Viri pietas, atque ingenium.*

AD CALVUM DE QUNTILIA.

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepul
Accidere a nostro, Calve, dolore potest:
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias;
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

FRA-

XVIII.

FRATRI ad Rhœteum Troadis promuntorium sepulto parentat Catullus.

INFERIAE AD FRATRIS TUMULUM.

MULTAS per gentes, & multa per æquora vectus
Adven has miseras, Frater, ad inferias:
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam adloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abstulit ipsum,
Heu miser indigne Frater ademte mihi!
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, Frater, have atque vale.

ADNOTATIONES.

Inferias) *Dona, ac sacrificia, quæ mortuorum umbris dicabantur*; Inferiæ *dictæ, quod eorum inferebantur sepulcris*.

Munere) *Florum aspersione, ac lactis, mellis, aquæ, vini, oleique effusione*.

Tradita) *Quasi scilicet per manus*.

Have, atque vale) *Indicto a Præfica* I licet, *qui funus comitabantur, extremum vale dicebant*: Vale, vale, vale. Nos te ordine, quo natura permiserit, sequemur.

XVIIII.

CORNELIO, qui cum Catullo de aliquibus communicarat, pollicetur Vates, ea se numquam relevaturum.

AD CORNELIUM.

SI quicquam tacito commissum est fido ab amico,
Quojus sit penitus nota fides animi;

Me æque invenies illorum jure sacratum,
Corneli, & factum me puta Harpocratem.

ADNOTATIONES.

Illorum) *Quasi virorum sacris initiandorum juramento adactum.*

Puta] *In voce* puta *ultima non eliditur graecorum more.*

Harpocratem) *Silentii Deus erat Ægyptiis Harpocrates; cujus simulacrum in sacris Isidis, ac Serapidis adhibebatur, digitoque ori admoto silentium indicebat. Hinc adagium:* Reddere Harpocratem *est*, Silentium imponere.

XX.

CUM Silone agit, vel ut sestertia mutuo data restituat, vel ut ferocire saltem, interminarique desinat.

AD SILONEM.

AUT sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamvis sævus & indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quæso
Bucco esse, atque idem sævus, & indomitus.

ADNOTATIONES.

Sodes) *Si audes. Vox hortantis, ac sublandientis. Italice*: Di grazia: Caro voi.

Quamvis) *Quantum vis, quantum tibi libuerit.*

co-

XXI.

COPONIUS quidam inimicitias esse inter Catullum, & Lesbiam, quod hæc Catullo male dixisset, spargebat. Id se fecisse negat Catullus, nec facere potuisse addit. Denique, quæ ipse peccare Coponius solet, aliis tribuere affirmat.

IN COPONIUM.

CREDIS, me potuisse meæ maledicere Vitæ,
  Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Non potui: nec si possem, tam perdite amarem:
  Sed tua, Coponi, crimina, nostra facis.

XXII.

MAMURRAM, quem Belluam per jocum appellat, irridet, quod invitis Musis ad carmina condenda animum applicuisset.

IN MAMURRAM.

BELLUA conatur pimplæum scandere montem.
  Musæ furcillis præcipitem ejiciunt.

XXIII.

BEATUM ex eo se prædicat, quod Lesbia præter spem, deque improviso, atque impellente nemine uno, in gratiam secum rediisset.

AD LESBIAM.

SI quicquam cupidoque, optantique obtigit umquam, &
  Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro:
  Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te.
  Nobis o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis est me

Optan-

Optandus vita? dicere quis poterit?

ADNOTATIONES.

Nobis o lucem) *Cretensibus mos erat lætos dies albo notare lapillo. Hinc Horatius :* Cressa ne careat pulcra dies nota.

Optandus) *Magis beatus in vita.*

XXIIII.

COMINIUM senem improbum, bonisque omnibus maledicentem diris insectatur: ejusque cadaver, si arbitrio populari, seu suffragiis populi capite plectatur, ab avibus, ac feris dilacerandum dicit.

IN COMINIUM.

SI Cominî, arbitrio populari cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data vulturio:
Effossos oculos voret atro gurgite corvus:
Intestina canes, cetera membra lupi.

XXV.

UXOR Catullo reconciliata nullam offensam in eorum amore futuram spondebat. Vota itaque Diis suscipit Vates, ut Lesbiæ promissum ratum habeant, eamque in proposito firment.

AD LESBIAM.

JUCUNDUM, mea Vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut vere promittere possit:
Atque id sincere dicat, & ex animo;
Ut liceat nobis tota producere vita
Æternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

XXVI.

MAMURRAM, qui de fundis in Formiano præter modum gestiebat, exagitat: aitque, fundum dici quidem divitem oportere; dominum tamen, ut decoctorem, in egestate jacere.

IN MAMURRAM.

FORMIANUS saltus non falso, Bellua, dives
  Fertur: qui quot res in se habet egregias!
Aucupia omne genus, pisces, prata, arva, ferasque.
  Nequicquam: fructus sumtibus exsuperas.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
  Saltum laudemus, dum modo ipse egeas.

ADNOTATIONES.

Saltus) *Pars pro toto*. Boschetto.
Bellua) *Per convitium* Belluam *Mamurram vocat*.
Omne genus *Omnis generis*.
Fructus) *Italice:* L'esito avvanza l'introito.

XXVII.

MAMURRAE ferocitatem ab Formiano fundo sibi plaudentis coercet, objectis ei immodicis sumtibus, queis fiebat, ut longe pauperior esset.

IN MAMURRAM

BELLUA habet instar triginta jugera prati;
  Quadraginta arvi, cetera sunt maria.
Cur non divitiis Crœsum superare potis sit,
  Uno qui in saltu totmoda possideat?
Prata, arva, ingentes silvas, saltusque, paludesque
  Usque ad Hyperboreos, & mare Oceanum.
Omnia magna hæc sunt: tamen ipse est maximu'lustro,
  Non homo, sed vere Bellua magna, minax.

Ju-

Jugera) *Sc. Pascua, in quibus fenum colligebatur.*
Maria) *Lacunæ, piscinæ, stagna ingentia.*
Crœsum) *Lydiæ regem, divitiarum exemplum.*
Uno qui] *Fundus hic Mamurræ loquacitate multo amplior, quam reipsa erat, forte putabatur.*
To moda) *Pro* tot commoda. *Sic* Sis, *pro* si vis: Caueas: *pro* cave ne eas: Sirempse, *pro* similem reipsa.
Hyperboreos) *Populos ad semptemtrionem sitos.*
Maximu' ustro) *Maximus lustro, seu popina. In* lustris vitam *ii* agere *dicebantur, qui abditis in locis, sordidisque helluarentur.*

XXVIII.

ETSI carminibus ad Callimachi normam elaboratis Gellii maledicta retudisset Catullus; obloqui tamen ille non desinebat. Tandem addit: tela, quæ Gellius jacit, ne cutem quidem perstringere: at, quæ in Gellium ipse conjicit, gravissime vulnerare.

AD GELLIUM.

SAEPE tibi studioso animo venanda requirens
  Carmina uti possem mittere Battiadæ,
Queis te lenirem nobis, neu conarere
  Telis infesto mî icere, musca, caput:
Hunc video mihi nunc frustra fumum esse laborem,
  Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu.
  At fixus nostris tu dabi' supplicium

ADNOTATIONES.

Venanda) *Accurate inquirenda, disquirenda.*
Battiadæ) *Callimachus à Batto patre.*
Infesto mî) *Quem lædere impune haud licet.*
Musca) *Hic pro homine molesto.*
Preces) *Hic pro diris:* Maledizioni.
Contra) *Gellii convicia debili projecta sunt lacerto.*
Tu dabi' supplicium] *Dabis debitas pœnas.*

C. VA-

C. VALERII
CATULLI
VERONENSIS
FRAGMENTA
EX ELEGIS, ET EPIGRAMMATIS.

EX ELEGIA DE COMA BERENICES.

NUNC vos, optato quæ junxit lumine tæda
Non post unanimis corpora, , conjugibus.
* Quæ jucunda mihi munera libet onyx:
Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili.
Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis.
Namque ego ab indignis præmia nulla peto.

EX ELEGIA DE JANUA.

PRIMUM igitur, Virgo quod fertur tradita nobis.
* Dicitur & miseram conscelerasse domum.
Sive quod impia mens cæco fragrabat amore.
* Egregium narrans mira pietate parentem.
* Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia cycneæ suppofita speculæ:
Flavus quam molli percurrit flumine Mela:
Brixia Veronæ mater amata meæ.
* Dixerit hic aliquis: qui tu isthac, janua, nosti,
Quoi numquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
Tantum opere soles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam Cæciliis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus: utpote quæ mi
Speret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quamdam, quem dicere nolo

No-

Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim.

EX ELEGIA AD MANLIUM.

* CONJUGIS ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una, atque altera rursus hiems,
* Possit ut abrupto vivere conjugio.
* Oscula mordenti semper decerpere rostro.
* Ne nimium simus stultorum more molesti.
* Atqui nec divis homines componier æquum est.
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum.
* Quare illud satis est, si nobis is datur unis.
Quem lapide illa diem candidior notat.

EX EPIGRAMMATIS.

NON si illam raræ labefactes munere vestis.
Aut pelluciduli deliciis lapidis,
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem;
Aut admirari desine cur fugiunt.
* SI quoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat;
Æmulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem
Mirifice est, ac tu, nactus utrumque malum.
* Illam affligit odore, ipse perit podagra.
* Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec, præ me, nubere velle Jovi.
Dilexi tum te non tantum ut vulgus amicam;
Sed pater ut gnatos diligit, & generos.
* Multo mi tamen est vilior & levior.
Qui potis est? inquis. Quod amantem injuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.
* Gellius audierat, patruum objurgare solere.
* Gallus habet fratres, quorum est lepidissima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
* Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive?
* E molli longa suscitat hora die. * Præ.

* Præterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
 Hospes, inauratâ pallidior statuâ,
Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
 Audes? Ah nescis, quod facinus facias.
* LESBIA mi præsente viro mala plurima dicit:
 Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Vappa, nihil sentis: si nostri oblita taceret,
 Sana esset: quod nunc gannit, & obloquitur,
Non solum meminit: sed, quæ multo est res,
 Irata est: hoc est uritur, & loquitur.
* Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys,
 Non genitor nympharum abluit Oceanus.
Jam nihil est quicquam sceleris quo prodeat ultra:
 Non si demisso se ipse voret capite.
* Si vera est Persarum impia religio.
* Gnatus ut accepto veneretur carmine divos
 Omentum in flamma pingue liquefaciens.
* Non ideo, Gelli sperabam te mihi fidum
 In misero hoc nostro hoc perdito amore fore:
Quod te cognossem bene, constantemque putare,
 Aut posse a turpi mentem inhibere probro?
Sed quod nec matrem, nec germanam esse videbam
 Hanc tibi, cujus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer usu,
 Non satis id caussæ credideram esse tibi.
Tu satis id dûxti: tantum tibi gaudium in omni
 Culpa est in quacumque est aliquid sceleris.
* IN TE, si quemquam, dici pote, putide Vetti,
 Id quod verbosis dicitur, & fatuis.
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
 Soccos, & crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
 Hiscas: omnino quod cupis, efficies.
* Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
 Tantillum vestræ demere sævitiæ.

Ae-

Accedunt Carmina duo Cl. V. Hieronymi Fracastorii in eorum gratiam, quibus Catullianæ elegantiæ venereſque merito ac jure ſapiunt.

IN OBITU
M. ANTONII TURRIANI
VERONENSIS.

AD JOHANNEM BAPTISTAM TURRIANUM FRATREM.

ELEGIA.

Etsi egomet tanti caſu perculſus Amici
  Solamen noſtris diſcuperem lacrimis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
  Pergeret aut tantus urere corda dolor;
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror.
  Iſtæc mæſta tibi carmina perſolüi:
Quo fortaſſe meis conſolarere Camenis,
  Si miſeros quicquam Muſa levare poteſt:
Ac ne tu in lacrimas paullatim totus abires,
  Liquitur ut pluvio tacta pruina Noto.
Quandoquidem cari fato te Fratris acerbo, eſt,
  Rumor in extrema vivere triſtitia.
Nec jam poſſe quietis habere, aut commoda ſomni,
  Sed cedente die, ſed redeunte queri:
Mærentemque, vagumque, & turpem fletibus ora
Ami-

Amissum totis quærere litoribus.
Fertur ut Eridani ripas erraffe per omnes
Anxia fraterno funere Lampertie:
Septem quam perhibent fomni fine munere noctes;
Jejunam feptem continuaffe dies:
Et, quoties longo defeffa errore viarum
Umbrofi in ripa concidit Eridani,
Reddite vos Phaethonta mihi, clamabat ad undas,
O quæcumque fub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, ullius fi cuiquam morte dolendum eft,
Juftæ quidem tanti cauffa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi omnia Frater
Commoda, teque ipfum perdidit, atque tuos:
Perdidit hei mifero carus tibi Frater ademtus,
Quo tibi non ullus carior alter erat.
Ille amor, ille tuæ folamen dulce juventæ,
Ille tuæ fuerat fpes, columenque domus:
Quîcum verfari femper, quîcum effe folebas,
Atque animi, arcana dicere confilia:
Unum mirari, atque unum præponere cunctis:
Ambrofiæ e cujus effluere ore lepos.
O nimium miferi nos, & genus ærumnofum,
Deterius quorum eft conditione nihil.
In nos fævitum eft bello, quo durius umquam
Vidit nulla ætas, nec feret ulla dies.
Servitium tulimus crudele, & barbara juffa:
Parfque domos caras liquimus, & patriam.
Reliquias, miferofque abfumfit tabida cives
Peftis, & huc illuc fævit Erinnys adhuc:
Nec fat erat: miferi crudelia funera Cottæ
Flevimus, O indignâ Cotta peremte nece.
O Cotta infelix, quæ te fata impia nobis
Tam fubito ante tuos abripuere dies?
Jam neque finierant gemitus, & lumina ficcis
Non bene ceffarant triftia flere genis;
Quum tu Marce cadis, quum nos tot triftibus actos
Deferis, heu, falfus crudelitate tui.
Non hoc vivida nos tua jam fperare juventa,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant;
Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem
Externa miferi contegeremus humo:
Sed fore, quem famâ virtus æquaret Olympo,
Unus

Unus qui multos instrueres populos.
Qualis ab aerio decurrens monte jugi fons
Communes multis sufficit unus aquas.
Nam quid ego aut laudes memorem, aut tua maxima laudum.
Præmia? quam humano profuris generi?
Aut quam sæpe animas positas jam sedibus Orci
Ad sua Apollinea membra vocaris ope?
Vos testes Ticine, & qui inter pascua læta
Medoace antiquos abluis Euganeos:
Illo, quos, fama est, naturæ arcana docente,
Sæpe inter Nymphas obstupuisse suas:
At nunc amisso turbatis flesse sub undis,
Inque mare assuetas non habuisse vias.
Non tamen aut soli, nec vos magis omnibus amnes
Indoluistis acerbo illius interitu.
Illum etiam Grajæ, & Nymphæ flevere Latinæ,
Illum etiam tristis Calliopea modis.
Quin etiam silvæ, & montes gemuisse feruntur,
Et vox extremi sestis extremi Hyperborei:
Sed mage Benacusque senex, & Sarca, sepulti
Qui prope vicinum prætereunt tumulum:
Sed magis ipse Athesis, olim qui corpus humandum
Condendum caram perferet in patriam,
Ne extra cognatos cineres, Turrensiaque ossa
Illum perpetuo terra aliena tegat.
Tunc vos o patrio prognatæ Najades amne
Spargite odoratis plena sepulcra rosis.
Tempus erit, quum posteritas mirata nepotum,
Quantum isti dicent, ah! tribuere Dei.
Atque aliquis monumenta legens, & scripta jacentis
Devota ad mutos secta feret cineres.
Interea o vos Benaco centum patre Nymphæ,
Sarcaque ab Alpinis edite verticibus,
Et vos o Naci rupes, & saxa Briani,
Et nemora umbrosis densa cacuminibus,
Ferte aliqua, o nunc ferte meo solatia Batto,
Et tantum ex animo demite tristitiam.
Quem neque sancta potest Sophie complexa levare,
Musa nec assuetis sedula carminibus.
Batte tamen vates, longum ut quæsisset ademtam,
Et longum flesset Thracius Eurydicen,

Nul-

Nullo ſolatus, blando quam carmine, curas,
Nullo, quam Sophia, dicitur eſſe magis.
Illi, ſeu Rhodopes ſilvis erraret in altis,
Sive in deſertis Strymonis aggeribus;
Semper Muſa comes, ſemper pendebat eburna
Ex humero numeris docta ſonare lyra:
Ille orbem immenſum ſemper ſpectabat, & orbis
Ornatum, puris ſidera luminibus,
Et maria, & montes vaſtos, atque irrequieta
Flumina, tum quicquid denique terra parit.
Quorum animadvertens certa ſub lege tenorem,
Paullatim caram ſenſerat Eurydicen
Deleri, & triſtem mutari in gaudia mentem:
Tantum animos rerum forma levare poteſt.
Aſpice lucentem Lunæ Titanidis orbem,
Et cum Sole ſuo quæ ſuper aſtra micant;
Omnia ſunt æterna, & vitæ juncta perenni:
Quæ loca felices Diique, animæque colunt.
Inferior Leti regio eſt, ſedeſque malorum,
In qua eſt, quod felix intueare, nihil.
Quippe ſolum hoc ventique, imbreſque, & cuncta fatigant,
Quæcumque aeria de regione cadunt.
Adde æſtuſque, hiemeſque, & morborum genus omne;
Tum natura aliqua eſt indiga ſemper ope.
Nos porro deſideriis mala plurima noſtris
Junximus, o præceps in ſua damna genus.
Hinc odia, & timor, & lites bella cruenta,
Et via non uni plurima aperta neci.
Attamen in tantis ærumnis eſt animi ſpes
Unica, quem melior vita beare poteſt.
Quippe, ubi præfulgens ulla virtute reliquit
Corporeum, ſedes advolat ætherias,
Semideûmque domos, & Divûm morte carentum.
Hic, ubi non æſtus, nec fera ſævit hiems,
Nec dolor, aut deſideria infelicia noſtri:
Nec ſors partem aliquam, nec rude vulgus habet:
At ſancti heroes habitant, gens inclyta bello,
Ingenuique novem qui coluere Deas.
Quique pii, juſtique, Deûm præcepta ſecuti,
Et ſancta inſignes qui fuerunt ſophia.
Quos inter tuus ipſe recens a funere Frater

Mirantur cælum, Cælicolûmque domos,
Æternamque diem, & felicem ex ordine gentem,
Inter quos gaudet se quoque dinumerans.
Quem circum illustres animæ, proavique, paterque
Intentos oculos ore nepotis habent,
Et pulcram effigiem agnoscunt: miratur & ipse
Egregiam stirpem, magnanimumque genus:
Agnoscitque suos, & facta, & nomina discit,
Tunc quantum sit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, tristem ante senectam
Carpere iter cæli cui potuisse datum est.
Quas syrtes, quos & scopulos post terga relinquis
Marce? tibi a quanto est salva carina mari?
Fortunate iterum, tu non incommoda vitæ
Passus adhuc, non quæ plurima habet senium;
Sed dulces inter Musas, & Apollinis artes
Fortunata nimis vita peracta tibi est.
I decus Ausoniæ, juvenis, numeroque Deorum
Te immisce; culta est jam tibi terra satis.
Illa tuum, dum sidera erunt, dumque æquora current;
Nomen in astra memor, & benefacta feret.

EPITAPHIUM MOLSAE.

QUOD Molsæ fuerat mortale, hac conditur urna,
Exstruxere suis quam Aonides manibus.
Cœtibus at superûm fruitur nitidissimus almis:
Itque comes magno spiritus Hippolyto.
Quem Medica de gente satum pulcherrima virtus
Extulit, & cæli templa tenere dedit,
Quemque unum ante omnes coluit, dum fata sinebant,
Atque oculis vates prætulit ipse suis.

ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI VITA

EX CL. V. PETRO CRINITO.

ALBIUS TIBULLUS Romæ, ut creditur, natus Hirtio, & Pansa Coss.: qui annus etiam Nasonis Poetæ natalibus insignis fuit: nam uterque Consul, quum ad liberandum Brutum apud Mutinam mitteretur, fugato Antonio, occisus est. Parentes habuit ex equestri ordine, bello & pace satis illustres. Is autem Tibullus, quod ingenio facili, & egregia forma foret, nobiliores etiam civitatis sibi conciliavit, quorum e numero fuit Messala Corvinus, qui mira diligentia, & assiduis officiis poetam Tibullum fovit. Quocirca sui studiosum vocat eum Tibullus, & insigni carmine laudes ejusdem, ac virtutem celebravit. Neque illud ignoratur, quum in jusdem Messalæ comitatu in provinciam Phæacum pergeret, in adversam eum valetudinem incidisse: ex quo tali carmine fidem suam, atque fortunam voluit posteris commendari:

HIC jacet immiti consumtus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequiturque mari.

Horatium quoque Flaccum, & Macrum Poetam, qui de herbis libros conscripsit, familiariter dilexit: eumque hortatur, ut relictis castris, & militia, ad amores & veneres redeat. Albius enim Tibullus in amoribus & delitiis, ut apparet, paullo proclivior fuit, ut qui Marathum, & Cerinthum pueros maximo affectu dilexit, sicuti Deliam, Sulpitiam, Neæram,

 & Ne-

& Nemesim, de cujus forma, & moribus frequens in Veterum libris mentio est, unde illud notum:

USSIT amatorem Nemesis lasciva Tibullum,
In tota juvit quem nihil esse domo.

Sed & L. Apulejus, quo loco de amoribus differit apud Claudium Maximum Proconsulem, fictum Deliæ nomen a poeta Tibullo refert, quum Plautia vocaretur. Flaccus Horatius libère illum hortatur amicitiæ nomine, ut forti animo, & constanti, immitis Glyceræ fastum, & insolentiam perferat: tum aliorum exemplis discat, quanta sit in sequendis amoribus varietas. In scribendo autem carmine, Cassio Parmensi eumdem præponit, quo loco suorum sermonum judicem facit: bonaque animi, & corporis illi ascribit:

ALBI nostrorum sermonum candide judex,
Non tu corpus eras sine pectore: Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam sapere, & fari possit, quæ sentiat? & cui
Gratia, fama, valetudo, contingat abunde,
Et mundus victus non deficiente crumena?

Is vero Tibullus in carmine ad Messalam copiose ostendit, parum sibi licere in otio versari, & musis pro animi arbitrio incumbere, quod adversantis fortunæ iniquitas nimium illi obfuisset: & quum satis illi opes florerent, conditione temporum factum, ut ad paupertatem redigeretur.

CUI fuerant flavi ditantes ordine sulci.
Horrea fecundis indeficientia mensis:
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupoque:
Nunc desiderium superest.

Idem Tibullus libros IIII. Elegiarum, sive Amorum, composuit: in quibus facile probatur, quam elegans, & candidum sit ejus carmen: ut ejusmodi caloribus describen-

bendis Latinos omnes videatur superasse, quum affectibus exprimendis, tum elegantia, & suavitate ingenii. Quod ipsum etiam Fabius Quintilianus ad Marcellum Victorium refert, quum Poetam Tibullum & elegantem imprimis, ac tersum existimarit. Obiit autem, quum adhuc junior esset: neque sine maximo mærore Ovidii poetæ, quod ille testatus est longo carmine: in quo probatur, quanta litterarum jactura Tibullus occiderit: eoque molestior fuit ejus interitus, quo immaturior visus est. In funere illius & parens, & soror pietatis officium præstiterunt: quod & Nemesis, & Delia pari animo fecerunt, sicut ab Ovidio refertur. Vulgatum illud est de elegantia, & carmine Tibulli:

DONEC erunt ignes, arcusque Cupidinis arma;
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI ELEGORUM LIBER I.

I.

PRIMA hæc Elegia, quam ad Messalam Corvinum in Ciliciam proficiscentem scribit Tibullus noster, tempore postrema fuit: ceteris tamen præponitur, ut, quod vitæ genus sibi Vates expetierit, dignoscatur.

AD carminis argumentum quod attinet: exhausto jam patrimonio in agellulum suum, qui in regione Pedana tantum ei superfuerat, secedens Tibullus, asserit, se, dum vixerit, pauperem vitam in otio degere velle: omnique opum commoditate posthabita, in Conjugis benevolentia moriturum.

AD MESSALAM CORVINUM.

DIVITIAS alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera magna soli.
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Ru-

ADNOTATIONES.

Divitias) *Divitias designat, tum quæ parantur fenore, tum quæ e fundis redeunt. Sic Petrarca:* Che vi fan ir superbi oro, e terreno.

Assiduo) *Ignis in foco accensus familiæ incolumitatem significabat.*

Ipse) *Italice*: Io di man propria.

Rusticus, & facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu Stipes habet desertus in argis,
Seu vetus in trivio florea serta Lapis.
Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sæva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos:
Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: Io messes, & bona vina date.

Rusticus) *Non secus ac rusticus. Eclipsis.*
Grandia) *Præstantiora.*
Spes) *Agriculturæ Dea, quæ fingebatur mulier stolata, spicas quinque gestans sinistrâ, cum duobus papaverum capitibus.*
Destituat) *Italis est.* Mi abbandoni: mi manchi.
Lacu) *Vinario vase. Nunc* Tino.
Veneror) *Caussa, ob quam Spem deam propitiam sibi esse affirmat.*
Stipes) *Annosi stipites pro Deo coli soliti: qui defixi relinquebantur.*
Lapis) *Lapides, & Stipites floribus coronabantur.*
Libatum) *Fructuum primitiæ Diis agricolis offerebantur.*
Ceres) *Saturni, & Opis filia, Dea frugum habita.*
Ruber) *Priapi simulacrum pingebatur minio. Cetera vid. pag. 19.*
Fertis munera vestra) *Accipitis sacrificia vobis debita.*
Lares) *Subaudi Compitales, queis vitula, agna ac sus offerebantur.*

Jam modo non possum contentus vivere parvo,
  Nec semper longæ deditus esse viæ:
Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra
  Arboris ad rivos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
  Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellæ
  Desertum oblitâ matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque, lupique,
  Parcite: de magno præda petenda grege est.
Hic ego, pastoremque meum lustrare quotannis,
  Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, Divi: neu vos e paupere mensa
  Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit Agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum; fructusque requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est, satis est requiescere lecto,
  Si licet, & solito membra levare toro.
Quam juvat immitis ventos audire cubantem.
  Et natos tenero continuisse sinu!
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
  Securum somnos imbre juvante sequi!

Hoc

Jam modo non] Pro non modo: ὕστερον πρότερον. *Non modo, inquit, possum tenui victu contentus esse: non tantum longis itineribus valedicere mercandi caussa; verum etiam indulgere otio, sedens æstate sub arbore ad aquam prætereuntem.*

Canis estivos) *Pro Canis æstivi ortus. Oritur Canis XVI. kal. Aug.: occidit XI. Kal. Sept.*

Nec tamen] *Otiari ita volo, ut ab opere faciundo omnino non desistam: nec probro id mihi vertam.*

Lustrare) *Vide Elegiam I. lib. II.*

Lacte Palem) *Rustici diis agricolis lactis effusione libabant. Pales autem pabuli, ac pastorum Dea: in ejus honorem* Palilia, *seu* Parilia *fiebant XI. kal. Maji (ex eo, quod Romulus eo die Urbem condiderit) ad lupos arcendos, morbosque a pecore pellendos.*

Adsitis divi) *Vetus formula deos invocandi.*

Parva seges) *Hic pro agello, prædiolo.*

Hoc mihi contingat: sit dives jure, furorem
Qui maris, & tristes ferre potest Hyadas.
O quantum est auri potius, pereatque zmaragdi,
Quam fleat ob nostras uxor ut ante vias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum jucundæ vincla maritæ:
Et sedeo parcas rusticus inter opes.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
Dummodo sim, quæso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi quum venerit hora:
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis, & arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus & lacrimis oscula mista dabis.
Flebis: non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non juvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu manes ne læde meos: sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.
Interea dum fata sinunt, celebremus agrestes.
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.
Jam subrepet iners ætas, nec adire licebit,
Quærere nec cano blanditias capite.
Hic ego dux, milesque bonus: vos signa, tubæque
Ite procul: cupidis vulnera ferte viris.
Ferte & opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

Hyadas) *Hyades* (ἀπὸ τοῦ ὕειν) *stellæ sunt septem: quarum ortu, atque obitu tempestates excitantur.*
Te bellare] *Altera elegiæ pars.*
Laudari) *Strenuos milites pro concione laudabantur: atque huc respexit Vates.*
Arsuro lecto) *Lectus funereus rogo impositus cum cadavere cremabatur.*
Tu manes) *Qui immodicis lacrimis mortuos urgebat, eorum umbris injurius erat.*
Adire) *Subintellige* rus.
Acervo) *Dicis, se tranquillum fore condita post frumenta. Stramentis enim dissectis, acervus construitur, inquit Varro. Italis est* Paglajo.

II.

PRIMUM diris Januam persequitur; mox mitius cum ea agit.

AD JANUAM.

JANUA difficilis domini, te verberet imber
  Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis;
  Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
  Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet quæ plurima voce peregi
  Supplice, quum posti florea serta darem.

Posti florea) *Vid. pag.* 55. *v.* 33.

AGIT de muliere pharmaceutria, cui generi futurorum scientiam, inque hominum animos potestatem tribuebant Veteres. Ait 1. suos dolos velle Sagam celare. 2. Ejus prestigia commemorat. 3. Quid ipse a Saga expetierit, exponit.

DE SAGA.

PARCITE luminibus, seu vir, seu femina fias
  Obvia: celari vult mala Saga dolos.
Neu strepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
  Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis & imprudens adspexerit; occulat ille,
  Perque Deos omnes se meminisse neget.
Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi.
  Fulminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum manesque sepulcris
  Elicit, & tepido devocat ossa rogo.
Jam ciet infernas magico stridore catervas:
  Jam jubet adspersas lacte referre pedem.

Quum

Quum libet, hæc tristi depellit nubila Cælo:
Quum libet, æstivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas:
Sola feros Hecatæ perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses.
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Et me lustravit tædis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam; nec te posse carere velim.

ADNOTATIONES.

Sola tenere) *Novisse vim malarum herbarum. Medea autem herbarum scientissima.*

Hecatæ canes) *Eos nempe, qui Hecaten, seu Proserpinam ululantes comitantur.*

Ter dictis] *In sacris quoque magicis ter despuebatur.*

Tædis) *Tædæ in magicis lustrationibus adhibebantur: inferisque diis victimæ nigri velleris mactabantur.*

QUERITUR de homine, qui, quum Deliam sibi sponsam optavisset, militiæ mox adscriptus, eam reliquit, cujus imitari duritiem se nolle profitetur.

AD DELIAM.

FERREUS ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat & in capto Martia castra solo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Insideat celeri conspiciendus equo.
Ipse boves, mea, sim tecum modo, Delia, possim
Jungere, & in solo pascere monte pecus.

ADNOTATIONES.

Ille) *Conjicit Janus Broukhusius hominem hunc, de quo hic queritur Tibullus, fuisse Cajum Sosium, qui de Cilicibus triumphavit.*

Agat ante) *Qui triumphabat, duces, captivos, prædamque ipsam ante se agebat. Latina phrasis vim exprimit Ludovicus Areostus C. 39. Rol. Fur.*

Astolfo come pecore li mena
Dinanzi a' suoi di guerreggiar più dotti.

Totus &c.) *Amictus vestibus, argento, auroque contextis.*

SE innocentem prædicat, tum quod nullis criminibus sit obnoxius; tum quod, si quid peccaverit, suæ in offensos deos religionis signa daturus sit. Deinde omnes monet, ne suo gaudeant malo: fortasse enim erit, ut in eadem crimina, quæ ab ipsis reprehenduntur, paullo improbius prolabantur.

D E S E I P S O.

NUM Veneris magno violavi numina verbo?
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse Deorum:
Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,

Et

ADNOTATIONES,

Incestus) *Profanus homo, seu sacris non initiatus.*

Sertaque) *Deos Lares, in focis locatos, corollis ornabant Veteres.*

Non ego) *Procumbere templis, dare oscula sacris liminibus, tellurem genibus perrepere, tundere caput templorum postibus, piaculorum ritus apud Veteres fuerunt.*

Et dare sacratis oscula liminibus :
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caveto:
Mox tibi non unus sæviet usque Deus.
Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem.
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caræve maritæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc juvenis turbâ circumterit arctâ:
Despuit in molles & sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita serviit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

Tundere) *Areostus Tibulliane phrasis vim expressit C.* 28. *Rol. Fur.*

Ne fu per dar del capo in tutt' i muri.

At tu] *Homo inimice quisquis is es, multos Deos iratos habebis.*
Fingere) *Pectere, ac ponere in statione.*
Ancillam] *Uxoris famulam.*
Hunc puer) *Ita pueri senem circumstent, ut terant, premant, urgeant.*
Despuit) *In avertendo fascino ter spuebatur.* Sinus molles *sunt vestium lanearum laxitates, quæ plicas intermeant.* Molles *dicuntur, quod mollities lanæ sit propria. Hæc ex Theocrito Idyll. VI. v. 39. excerpsit Tibullus.*

Τοιάδε μυθίζοισα, τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον.
Hæc locuta, ter in suum despuit sinum.

Quid messes] *Par illud adagium:* Vineta sua cædere. *Reddunt Itali:* Tirar a' suoi colombi.

III.

ADVERSA valetudine Corcyræ detinebatur Tibullus: nec M. Valerium Corvinum Messalam, Comitesque suos in Syriam proficiscentes sequi poterat. Hinc 1. *Libitinam obtestatur, ne se patria procul occupet.* 2. *Longa damnat itinera; ubi ad auream Saturni ætatem commendandam digreditur.* 3. *Ad Elysios vita functum se migraturum sperat: qua occasione quicquid triste, ac beatum apud Deos inferos est, aperit, describitque.*

AD MESSALAM, ET COMITES.[1]

IBITIS Ægæas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse, cohorsque mei.
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
Abstineas avidas, Mors precor, atra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater,
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus?
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis:
Delia non usquam, quæ me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit e triviis omina certa puer.

Cun-

[1] Ibitis Ægæas) *Ægæum pelagus Græciam, Asiamque intermeat, hinc Macedoniam, illinc Cariam, & Joniam adluens.*

Cohors) *Consul. pag.* 12. & 27.

Phæacia] *Corcyra*, Corfù. *Jonii insula, quam Phæaces coluerunt.*

Non hic mihi] *Vid. pag.* 26. & 38.

Delia non usquam) *Delia longe abest.*

Quam . . ante] *Antequam.*

Pueri sortes) *Pueri manu sortes miscebantur, atque ducebantur.*

Illi) *Deliæ itaque puer e triviis omina certa retulit, quod casu præteriens faustæ significationis vocem miserit.*

Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
  Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
  Quærebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum caussatus aves, aut omnia dira:
  Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere amore,
  Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia: quid mihi prosunt
  Illa tua toties æra repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
  Te (memini) & puro secubuisse toro?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
  Picta docet templis multa tabella tuis.
Ut mea votivas persolvens Delia pœnas,

Ante

Deterrita numquam] *A proposito abducta. Solus Deliæ fletus, ac respectus frequens fausta interturbabat auguria.*

Aut ego) *Ex avium extis* Auspicium; *ex voce casu audita* Omen *capiebatur*. Caussari *hic valet:* Prendere per pretesto: Scusarsi sotto pretesto.

Saturni) *Ominosum erat, Saturni die in viam se dare. Ubi* tenuisse *pro* retinuisse.

Offensum) *Hoc quoque inter mala fuit omina. Vid. pag. 51.*

Isis) *In fide Insidis Ægyptiorum dea navigantes quoque fuerunt. Hinc factum, ut pro Tibullo maritimum iter suscepturo Isidi Delia supplicaret.*

Æra repulsa) *Sistra Ægyptiaca, seu ænea crepitacula. Isis cum sistro fingebatur.*

Pureque lavari) *Quid prodest pure lavari? Erant quippe balnea secretiora, quibus feminæ ad expiationem utebantur.*

Docet) *Ostendit. Votivæ tabellæ in templis suspendebantur. Isidis templum Romæ excitatum fuit in Campo Martio juxta Ovile.*

Votivas pœnas) *Multam, quam voto sibi imposuerat.*

Ante sacras lino tecta fores sedeat.
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege! priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus:
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, Lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec ensem
Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino cædes, nunc vulnera semper:
Nunc mare: nunc leti mille repente viæ.
Parce, Pater: timidum non me perjuria terrent,
Non

Ante) *Imitatæ Isidis sacerdotes, qui lineis vestibus operiebantur, inque ædis vestibulo assidebant.*

Bisque] *Templum mane aperiebant Isiaci, deam salutabant, simulacrum asello impositum circumferebant, ac stipem rogabant: redibant vespere, deam componebant, laudibus celebrabant, atque ædem claudebant.* Insignem *Deliam dicit* Tibullus, *quod comata esset inter* turbam Phariam, *seu sacerdotes Ægyptineos (a Pharo, oppido regio haud procul Alexandria) raso incedentes capite.*

At Mihi) *Mihi sanitati restituto.*

Reddere) *Deos Lares Veteres curabant, eorumque armaria singulis* Kalendis *aperiebant.*

Quam bene) *Secunda carminis pars. Saturni ætatem ex effectis describit: mare remis non tentabatur; mercaturæ non dabatur opera: rura tauris non exercebantur: non figebantur campis termini, nec domibus januæ: non bello sæviebatur: quæ omnia poetice exprimuntur.*

Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.
Hic jacet immiti consumtus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequiturque mari.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic juvenum series lætis intenta choreis
Ludit, & assidue carmina cantat Amor.
Illic est cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta comâ.
At Scelerata jacet Sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant,
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit: & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.

Illic

Lapis) *Cippus scilicet sepulcralis loco superpositus, in quo urna cum ossibus desossa erat. Cippis hæ fere incidebantur notæ: H. M. H. N. S.* Hoc monumentum heredes non sequitur.

Sed me) *Postrema hæc pars Elysiorum camporum beatitatem, Tartarique ærumnas describit,*

Casiam) *Ad unguenta maximi pretii conficienda casia adhibebatur, sive frutex ea fuerit, sive cortex.*

Benigna) *Fertilis.*

Scelerata Sedes) *Tartarus scilicet, ubi sontes homines torquebantur.* Sedem *autem dixit, quod infimum esset Plutonis regiæ fundamentum: nam murorum ædificiorumque fundamenta,* Sedes *latini dicunt.*

Impexa) *Furiæ capillorum loco horridos angues, impexosque habebant. Tisiphone (a τίσις, ultio, & φόνος, cædes) homicidia puniebat.*

Cerberus) *Cerberum canem ex Echidna suscepit Typho, quem Pluto Inferorum januæ præfecit, Triceps fuit, colloque serpentibus crinito.*

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
  Versantur celeri noxia membra rotâ.
Porrectusque novem Tityus per jugera terræ
  Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, & circum stanga: sed acrem
  Jam jam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
  In cava lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
  Optavit lentas & mihi militias.
At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
  Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna
  Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella

Pau'-

Ixionis) *Ixion Phlegyæ filius, Deorum mensæ adhibitus, vim Junoni illaturus erat. Ab Jove ultore in Tartarum ejectus, rotæque adstrictus, noctes ac dies volvitur.*

Tityus) *Unus e Gigantibus, quem sagittis ad Inferos Appollo detrusit, quod Latonam tentarit: ejusque jecur, toties renascens, quoties absumtum creditur, vultures depascuntur.*

Tantalus) *Jovis filius ex Plotê nympha, qui ob filium Pelopem Diis epulandum appositum, ad Inferos immittitur: ibique arboris impendentis poma recedentia frustra captat, fontisque aquam, quæ ab labiis refugit, avidissime sitit.*

Læsit) *E quinquaginta Danai filiabus, quadraginta octo ipsa nuptiarum nocte viros morti devoverunt: atque hæ laticem in vas pertusum apud Inferos congerunt, inquit Lucretius. Venus autem nuptiarum præses.*

Illic sit) *Superiori respondet:* Illic est, cuicumque &c. Sicut juvenes, qui nemini uni nocuerunt, *morte obita, Elysios incolunt; ita qui aliis insidiantur, vita functi, in Tartarum conjiciuntur.*

At tu) *Ad Deliam redit, quam nentem inopinato se occupaturum sperat.*

Ac circa) *Puellis nendo intentis, ac dormitantibus fusus e manibus effluat.* Puella pro puellis: Pensum

Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, ne quisquam nuntiet ante.
Sed videar cœlo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

sum *autem* (stame intorno alla rocca) *ex eo dictum: quod appenderetur a dominabus, & rependeretur ab ancillis, colo jam deducta, atque absoluta.*

Cælo missus) *Quis graviter laboranti in tempore opem ferebant*, cælo mitti, dilabi, descendere *dicebantur.*

Turbata capillos) *Græce dictum, pro* capillis. *Quæ maritos absentes lugebant, comas non curabant.*

Nudato pede) *In improvisis casibus, qui lectulis assidentes aliquid operis facerent, sine soleis exsiliebant: nam soleas ad lecti pedem, ne stragula inquinarent, deponebant.*

Hunc illum luciferum) *Nempe diem, talem, qualem animo mihi finxi. Auroræ bigam largitur Tibullus.*

IIII.

NESCIO quis Priapum hortorum præsidem consuluerat, qua ratione juvenum quorumdam familiaritatem sibi conciliaret. Ille vero ob omni Ephœborum amicitia hominem dehortatur.

DE QUODAM, & PRIAPO.

SIC umbrosa tibi contingant tecta, Priape:
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quæ tua formosos cepit solertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstivi tempora sicca Canis.
Sic ego: tum Bacchi respondet rustica proles
Armatus curva sic mihi falce Deus.

O su-

O fuge te teneræ puerorum credere turbæ.
  Nam causſam falſi ſemper amoris habent.
Hic placet, anguſtis quod equum compeſcit habenis.
  Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adeſt audacia, cepit: at illi
  Virgineus teneras ſtat pudor ante genas.

ADNOTATIONES.

Sic umbroſa) *Sub arbore Priapi ſtatua locabatur: Ei itaque ædiculam, qua carebat, optat.*

Quæ tua) *Italice*: Qual mai tant'attenzione han per te i Giovani. *Tua pro* tui. *Hortos, quorum Priapus cuſtos, juvenes frequentabant.*

Nitet] *Unguento ſcilicet, quo elegantiores barbam quoque perliniebant.*

Non culta] *Turbatis crinibus, ac falce armatus Deus hic inſculpebatur.*

Bacchi proles) *Bacchi filius. Vid. pag.* 19.

O fuge] *Ne committas te juvenum cœtibus, quum vel equis luſuri, vel nataturi conveniant, ne ab eis decipiaris.*

Hic, quia) *Hic fallit audaciâ: hic verecundiâ*

TITIUM forte Septimium docet Vates, quid illi agendum, ſi quid uxorem læſerit. Ait 1. *offenſam Conjugis voluntatem temporis decurſu, ac juramentis immutari.* 2. *Quod ſi in gratiam cum ea redire non curarit; negligentiæ, annis præterlabentibus, pœnitebit.* 3. *Ob præcepta hæc Titio tradita, ſibi jam ſeni acceſſurum decus affirmat.*

AD TITIUM SEPTIMIUM.

BLANDITIIS vult eſſe locum Venus ipſa: querelis
  Supplicibus, miſeris fletibus illa favet.
Sed ne te capiant, primo ſi forte negarit,

Te-

Negarit) *Negarit tibi reconciliari.*

Tæda: paullatim sub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aquà.
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certà lucida signa vice.
Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit Pater ipse valere,
Jurasset cupide quicquid ineptus amor.
Perque suas impune sinet Dictynna sagittas
Adfirmes, crines perque Minerva suos.
At si tardus eris, errabis: transiet ætas
Quam cito! non segnis stat, remeatque dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alta comas!
Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Vidi ego jam juvenem, premeret quum serior ætas,
Mærentem stultos preteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.

Solis

Longa dies] *Longum tempus. Tempore omnia fiunt.*

Nec) *Digreditur ad juramenta conjugum deridenda, quæ ventos disperdere, & Jove adprobante, minime valere dicit.*

Per freta summa) *Per maris superficiem.*

Perque] *Permittet tibi pejerare Dictynna per sagittas; per crines autem Minerva.* Dictynna *eadem, quæ* Diana, ἀπὸ τῶν δικτύων, a retibus, *quibus venatrix præerat. Minerva autem suos adeo deperibat crines, ut, quum Medusa præ suis contemsisset, ejus capillos serpentibus mutarit.*

At si] *Secunda pars.*

Quam jacet) *Quam contemnitur.* Jacere *dicuntur, qui despicatui sunt.*

Prior) *Cursu præstantissimus. Equorum cursu certamina Jovi habebantur in Urbe Elide.* Mitti *dicebantur, quod e carceribus* (Cancelli) *dato signo dimitterentur.*

Vidi ego] *Rem quoque ab exemplo conficit.*

Jam modo non possum contentus vivere parvo,
  Nec semper longæ deditus esse viæ:
Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra
  Arboris ad rivos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
  Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellæ
  Desertum oblità matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque, lupique,
  Parcite: de magno præda petenda grege est.
Hic ego, pastoremque meum lustrare quotannis,
  Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, Divi: neu vos e paupere mensa
  Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit Agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum; fructusque requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est, satis est requiescere lecto,
  Si licet, & solito membra levare toro.
Quam juvat immitis ventos audire cubantem.
  Et natos tenero continuisse sinu!
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
  Securum somnos imbre juvante sequi!

Hoc

Jam modo non] *Pro* non modo: *ὕστερον πρότερον*. *Non modo, inquit, possum tenui victu contentus esse: non tantum longis itineribus valedicere mercandi caussa; verum etiam indulgere otio, sedens æstate sub arbore ad aquam prætereuntem.*

Canis estivos) *Pro Canis æstivi ortus. Oritur Canis XVI. kal. Aug.: occidit XI. Kal. Sept.*

Nec tamen] *Otiari ita volo, ut ab opere faciundo omnino non desistam: nec probro id mihi vertam.*

Lustrare) *Vide Elegiam I. lib. II.*

Lacte Palem) *Rustici diis agricolis lactis effusione libabant. Pales autem pabuli, ac pastorum Dea: in ejus honorem* Palilia, *seu* Parilia *fiebant XI. kal. Maji (ex eo, quod Romulus eo die Urbem condiderit) ad lupos arcendos, morbosque a pecore pellendos.*

Adsitis divi) *Vetus formula deos invocandi.*

Parva seges) *Hic pro agello, prædiolo.*

Hoc mihi contingat: sit dives jure, furorem
  Qui maris, & tristes ferre potest Hyadas.
O quantum est auri potius, pereatque zmaragdi,
  Quam fleat ob nostras uxor ut ante vias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
  Ut domus hostiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum jucundæ vincla maritæ:
  Et sedeo parcas rusticus inter opes.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
  Dummodo sim, quæso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi quum venerit hora:
  Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis, & arsuro positum me, Delia, lecto,
  Tristibus & lacrimis oscula mista dabis.
Flebis: non tua sunt duro præcordia ferro
  Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non juvenis poterit de funere quisquam
  Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu manes ne læde meos: sed parce solutis
  Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.
Interea dum fata sinunt, celebremus agrestes.
  Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.
Jam subrepet iners ætas, nec adire licebit,
  Quærere nec cano blanditias capite.
Hic ego dux, milesque bonus: vos signa, tubæque
  Ite procul: cupidis vulnera ferte viris.
Ferte & opes: ego composito securus acervo
  Despiciam dites, despiciamque famem.

Hyadas) *Hyades* (ἀπὸ τῦ ὕειν) *stellæ sunt septem: quarum ortu, atque obitu tempestates excitantur.*

Te bellare] *Altera elegiæ pars.*

Laudari) *Strenuos milites pro concione laudabantur: atque huc respexit Vates.*

Arsuro lecto) *Lectus funereus rogo impositus cum cadavere cremabatur.*

Tu manes) *Qui immodicis lacrimis mortuos urgebat, eorum umbris injurius erat.*

Adire) *Subintellige* rus.

Acervo) *Dicit, se tranquillum fore condita post frumenta. Stramentis enim dissectis, acervus construitur, inquit Varro. Italis est* Paglajo.

II.

PRIMUM divis Januam persequitur; mox mitius cum ea agit.

AD JANUAM.

JANUA difficilis domini, te verberet imber
  Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis;
  Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
  Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet quæ plurima voce peregi
  Supplice, quum posti florea serta darem.

Posti florea) *Vid. pag.* 55. *v.* 33.

AGIT de muliere pharmaceutria, cui generi futurorum scientiam, inque hominum animos potestatem tribuebant Veteres. Ait 1. suos dolos velle Sagam celare. 2. Ejus prestigia commemorat. 3. Quid ipse a Saga expetieris, exponit.

DE SAGA.

PARCITE luminibus, seu vir, seu femina fias
  Obvia: celari vult mala Saga dolos.
Neu strepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
  Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis & imprudens adspexerit; occulat ille,
  Perque Deos omnes se meminisse neget.
Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi.
  Fulminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum manesque sepulcris
  Elicit, & tepido devocat ossa rogo.
Jam ciet infernas magico [illegible] dore catervas:
  Jam jubet adspersas lacte referre pedem.

Quum

Quum libet, hæc tristi depellit nubila Cælo:
Quum libet, æstivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas:
Sola feros Hecatæ perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses.
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Et me lustravit tædis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam; nec te posse carere velim.

ADNOTATIONES.

Sola tenere) *Novisse vim malarum herbarum. Medea autem herbarum scieneissima.*

Hecatæ canes) *Eos nempe, qui Hecaten, seu Proserpinam ululantes comitantur.*

Ter dictis] *In sacris quoque magicis ter despuebatur.*

Tædis) *Tædæ in magicis lustrationibus adhibebantur: inferisque diis victimæ nigri velleris mactabantur.*

QUERITUR de homine, qui, quum Deliam sibi sponsam optavisset, militiæ mox adscriptus, eam reliquit, cujus imitari duritiem se nolle profitetur.

AD DELIAM.

FERREUS ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat & in capto Martia castra solo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Insideat celeri conspiciendus equo.
Ipse boves, mea, sim tecum modo, Delia, possim
Jungere, & in solo pascere monte pecus.

ADNOTATIONES.

Ille) *Conjicit Janus Broukhusius hominem hunc, de quo hic queritur Tibullus, fuisse Cajum Sosium, qui de Cilicibus triumphavit.*

Agat ante) *Qui triumphabat, duces, captivos, prædamque ipsam ante se agebat. Latinæ phrasis vim exprimit Ludovicus Areostus C. 39. Rol. Fur.*

Astolfo come pecore li mena
Dinanzi a' suoi di guerreggiar più dotti.

Totus &c.) *Amictus vestibus, argento, auroque contextis.*

SE innocentem prædicat, tum quod nullis criminibus sit obnoxius; tum quod, si quid peccaverit, suæ in offensos deos religionis signa daturus sit. Deinde omnes monet, ne suo gaudeant malo: fortasse enim erit, ut in eadem crimina, quæ ab ipsis reprehenduntur, paullo improbius piolabantur.

DE SEIPSO.

NUM Veneris magno violavi numina verbo?
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse Deorum:
Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et

ADNOTATIONES,

Incestus) *Profanus homo, seu sacris non initiatus.*

Sertaque) *Deos Lares, in focis locatos, corollis ornabant Veteres.*

Non ego) *Procumbere templis, dare oscula sacris liminibus, tellurem genibus perrepere, tundere caput templorum postibus, piaculorum ritus apud Veteres fuerunt.*

Et dare sacratis oscula liminibus :
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caveto:
Mox tibi non unus sæviet usque Deus.
Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem.
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caræve maritæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc juvenis turbâ circumterit arctâ:
Despuit in molles & sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita serviit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

Tundere) *Areostus Tibullianæ phrasis vim expressit C. 28. Rol. Fur.*

Ne fu per dar del capo in tutt' i muri.

At tu] *Homo inimice quisquis is es, multos Deos iratos habebis.*

Fingere) *Pectere, ac ponere in statione.*

Ancillam] *Uxoris famulam.*

Hunc puer) *Ita pueri senem circumstent, ut terant, premant, urgeant.*

Despuit) *In avertendo fascino ter spuebatur.* Sinus molles *sunt vestium lanearum laxitates, quæ plicas intermeant.* Molles *dicuntur, quod mollities lanæ sit propria. Hæc ex Theocrito Idyll. VI. v. 39. excerpsit Tibullus.*

Τοιάδε μυθίζοισα, τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον.
Hæc locuta, ter in suum despuit sinum.

Quid messes] *Par illud adagium:* Vineta sua cædere. *Reddunt Itali:* Tirar a' suoi colombi.

Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
  Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
  Quærebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum caussatus aves, aut omnia dira:
  Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere amore,
  Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia: quid mihi prosunt
  Illa tua toties æra repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
  Te (memini) & puro secubuisse toro?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
  Picta docet templis multa tabella tuis.
Ut mea votivas persolvens Delia pœnas,

Ante

Deterrita numquam] *A proposito abducta. Solus Deliæ fletus, ac respectus frequens fausta interturbabat auguria.*

Aut ego) *Ex avium extis* Auspicium; *ex voce casu audita* Omen *capiebatur.* Caussari *hic valet:* Prendere per pretesto: Scusarsi sotto pretesto.

Saturni) *Ominosum erat, Saturni die in viam se dare. Ubi* tenuisse *pro* retinuisse.

Offensum) *Hoc quoque inter mala fuit omina. Vid. pag.* 51.

Isis) *In fide Insidis Ægyptiorum dea navigantes quoque fuerunt. Hinc factum, ut pro Tibullo maritimum iter suscepturo Isidi Delia supplicaret.*

Æra repulsa) *Sistra Ægyptiaca, seu ænea crepitacula. Isis cum sistro fingebatur.*

Pureque lavari) *Quid prodest pure lavari? Erant quippe balnea secretiora, quibus feminæ ad expiationem utebantur.*

Docet) *Ostendit. Votivæ tabellæ in templis suspendebantur. Isidis templum Romæ excitatum fuit in Campo Martio juxta Ovile.*

Votivas pœnas) *Mulctam, quam voto sibi imposuerat.*

Ante sacras lino tecta fores sedeat.
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege! priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus:
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, Lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec ensem
Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino cædes, nunc vulnera semper:
Nunc mare: nunc leti mille repente viæ.
Parce, Pater: timidum non me perjuria terrent,

Non

Ante) *Imitatæ Isidis sacerdotes, qui lineis vestibus operiebantur, inque ædis vestibulo assidebant.*

Bisque] *Templum mane aperiebant Isiaci, deam salutabant, simulacrum asello impositum circumferebant, ac stipem rogabant: redibant vespere, deam componebant, laudibus celebrabant, atque ædem claudebant.* Insignem *Deliam dicit Tibullus, quod comata esset inter* turbam Phariam, *seu sacerdotes Ægyptiacos (a Pharo, oppido regio haud procul Alexandria) raso incedentes capite.*

At Mihi) *Mihi sanitati restituto.*

Reddere) *Deos Lares Veteres curabant, eorumque armaria singulis* Kalendis *aperiebant.*

Quam bene) *Secunda carminis pars. Saturni ætatem ex effectis describit: mare remis non tentabatur; mercaturæ non dabatur opera: rura tauris non exercebantur: non figebantur campis termini, nec domibus januæ: non bello sæviebatur: quæ omnia poetice exprimuntur.*

Non dicta in ſanctos impia verba Deos.
Quod ſi fatales jam nunc explevimus annos,
  Fac lapis his ſcriptus ſtet ſuper oſſa notis.
Hic jacet immiti conſumtus morte Tibullus,
  Meſſalam terra dum ſequiturque mari.
Sed me, quod facilis tenero ſum ſemper Amori,
  Ipſa Venus campos ducet in Elyſios.
Hic choreæ, cantuſque vigent, paſſimque vagantes
  Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.
Fert caſiam non culta ſeges, totoſque per agros
  Floret odoratis terra benigna roſis.
Hic juvenum ſeries lætis intenta choreis
  Ludit, & aſſidue carmina cantat Amor.
Illic eſt cuicumque rapax mors venit amanti,
  Et gerit inſigni myrtea ſerta comâ.
At Scelerata jacet Sedes in nocte profunda
  Abdita, quam circum flumina nigra ſonant,
Tiſiphoneque impexa feros pro crinibus angues
  Sævit: & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta ſerpentum Cerberus ore
  Stridet, & æratas excubat ante fores.

Illic

Lapis) *Cippus ſcilicet ſepulcralis loco ſuperpoſitus, in quo urna cum oſſibus defoſſa erat.* Cippis *hæ fere incidebantur notæ:* H. M. H. N. S. Hoc monumentum heredes non ſequitur.

Sed me) *Poſtrema hæc pars Elyſiorum camporum beatitatem, Tartarique ærumnas deſcribit,*

Caſiam) *Ad unguenta maximi pretii conficienda caſia adhibebatur, ſive frutex ea fuerit, ſive cortex.*

Benigna) *Fertilis.*

Scelerata Sedes) *Tartarus ſcilicet, ubi ſontes homines torquebantur.* Sedem *autem dixit, quod infimum eſſet Plutonis regiæ fundamentum: nam murorum ædificiorumque fundamenta,* Sedes *latini dicunt.*

Impexa) *Furiæ capillorum loco horridos angues, impexoſque habebant. Tiſiphone (a* τίσις*, ultio, &* φόνος*, cædes) homicidia puniebat.*

Cerberus) *Cerberum canem ex Echidna ſuſcepit Typho, quem Pluto Inferorum januæ præfecit, Triceps fuit, colloque ſerpentibus crinito.*

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
 Versantur celeri noxia membra rotâ.
Porrectusque novem Tityus per jugera terræ
 Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, & circum stanga: sed acrem
 Jam jam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
 In cava lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
 Optavit lentas & mihi militias.
At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
 Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna
 Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella

Pau'-

Ixionis) *Ixion Phlegyæ filius, Deorum mensæ adhibitus, vim Junoni illaturus erat. Ab Jove ultore in Tartarum ejectus, rotæque adstrictus, noctes ac dies volvitur.*

Tityus) *Unus e Gigantibus, quem sagittis ad Inferos Appollo detrusit, quod Latonam tentarit: ejusque jecur, toties renascens, quoties absumtum creditur, vultures depascuntur.*

Tantalus) *Jovis filius ex Plotê nympha, qui ob filium Pelopem Diis epulandum appositum, ad Inferos immittitur: ibique arboris impendentis poma recedentia frustra captat, fontisque aquam, quæ ab labiis refugit, avidissime sitit.*

Læsit) *E quinquaginta Danai filiabus, quadraginta octo ipsa nuptiarum nocte viros morti devoverunt: atque hæ laticem in vas pertusum apud Inferos congerunt, inquit Lucretius. Venus autem nuptiarum præses.*

Illic sit) *Superiori respondet:* Illic est, cuicumque &c. Sicut juvenes, qui nemini uni nocuerunt, *morte obita, Elysios incolunt; ita qui aliis insidiantur, vita functi, in Tartarum conjiciuntur.*

At tu) *Ad Deliam redit, quam nentem inopinato se occupaturum sperat.*

Ac circa) *Puellis nendo intentis, ac dormitantibus fusus e manibus effluat.* Puella *pro* puellis: Pen-

sum

Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, ne quisquam nuntiet ante.
Sed videar cœlo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

sum *autem* (stame intorno alla rocca) *ex eo dictum: quod appenderetur a dominabus, & rependeretur ab ancillis, colo jam deducta, atque absoluta.*

Cælo missus) *Quis graviter laboranti in tempore opem ferebant, cælo mitti, dilabi, descendere dicebantur.*

Turbata capillos) *Græce dictum, pro* capillis. *Quæ maritos absentes lugebant, comas non curabant.*

Nudato pede) *In improvisis casibus, qui lectulis assidentes aliquid operis facerent, sine soleis exsiliebant: nam soleas ad lecti pedem, ne stragula inquinarent, deponebant.*

Hunc illum luciferum) *Nempe diem, talem, qualem animo mihi finxi. Auroræ bigam largitur Tibullus.*

IIII.

NESCIO quis Priapum hortorum præsidem consulaverat, qua ratione juvenum quorumdam familiaritatem sibi conciliaret. Ille vero ob omni Epheborum amicitia hominem dehortatur.

DE QUODAM, & PRIAPO.

SIC umbrosa tibi contingant tecta, Priape:
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quæ tua formosos cepit solertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstivi tempora sicca Canis.
Sic ego: tum Bacchi respondet rustica proles
Armatus curva sic mihi falce Deus.

O fu-

O fuge te teneræ puerorum credere turbæ.
Nam caussam falsi semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis.
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.

ADNOTATIONES.

Sic umbrosa) *Sub arbore Priapi statua locabatur; Ei itaque ædiculam, qua carebat, optat.*

Quæ tua) *Italice*: Qual mai tant'attenzione han per te i Giovani. *Tua pro* tui. *Hortos, quorum Priapus custos, juvenes frequentabant.*

Nitet] *Unguento scilicet, quo elegantiores barbam quoque perlinebant.*

Non culta] *Turbatis crinibus, ac falce armatus Deus hic insculpebatur.*

Bacchi proles) *Bacchi filius. Vid. pag.* 19.

O fuge] *Ne committas te juvenum coetibus, quum vel equis lusuri, vel nataturi conveniant, ne ab eis decipiaris.*

Hic, quia) *Hic fallit audaciâ: hic verecundiâ*

TITIUM forte Septimium docet Vates, quid illi agendum, si quid uxorem læserit. Ait 1. *offensam Conjugis voluntatem temporis decursu, ac juramentis immutari.* 2. *Quod si in gratiam cum ea redire non curarit; negligentiæ, annis præterlabentibus, pœnitebit.* 3. *Ob præcepta hæc Titio tradita, sibi jam seni accessurum decus affirmat.*

AD TITIUM SEPTIMIUM.

BLANDITIIS vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.
Sed ne te capiant, primo si forte negarit,

Te-

Negarit) *Negarit tibi reconciliari.*

Tæda: paullatim sub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aquâ.
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certâ lucida signa vice.
Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit Pater ipse valere,
Jurasset cupide quicquid ineptus amor.
Perque suas impune sinet Dictynna sagittas
Adfirmes, crines perque Minerva suos.
At si tardus eris, errabis: transiet ætas
Quam cito! non segnis stat, remeatque dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alta comas!
Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Vidi ego jam juvenem, premeret quum serior ætas,
Mærentem stultos preteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.

Solis

Longa dies] *Longum tempus. Tempore omnia fiunt.*

Nec) *Digreditur ad juramenta conjugum deridenda, quæ ventos disperdere, & Jove adprobante, minime valere dicit.*

Per freta summa) *Per maris superficiem.*

Perque] *Permittet tibi pejerare Dictynna per sagittas; per crines autem Minerva.* Dictynna *eadem, quæ* Diana, *ἀπὸ τῶν δικτύων*, a retibus, *quibus venatrix præerat. Minerva autem suos adeo deperibat crines, ut, quum Medusa præ suis contemsisset, ejus capillos serpentibus mutarit.*

At si] *Secunda pars.*

Quam jacet) *Quam contemnitur.* Jacere *dicuntur, qui despicatui sunt.*

Prior) *Cursu præstantissimus. Equorum cursu certamina Jovi habebantur in Urbe Elide.* Mitti *dicebantur, quod e carceribus* (Cancelli) *dato signo dimitterentur.*

Vidi ego] *Rem quoque ab exemplo conficit.*

Solis æterna est Phœbo, Bacchoque juventas:
  Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ore,
  Sed Titium conjux hæc meminisse vetat.
Gloria cuique sua est: me, qui spernentur amantes,
  Consultent: cunctis janua nostra patet.
Tempus erit; quum me Veneris præcepta ferentem
  Deducat juvenum sedula turba senem.

Solis) *Apollo, & Bacchus comati, & imberbes semper fingebantur.*
Hæc mihi) *His de rebus forte Priapum sciscitatus erat Tibullus: qui ei oraculum edidit Titio Septimio canendum.*
Gloria) *Postrema Elegiæ pars. Quisquis aliquo ab artificio sibi plaudit.*
Patet janua) *Consultorum januæ semper apertæ.*
Veneris præcepta ferentem) *Proferentem præcepta, queis scilicet conjuges conciliari possint: Venus enim conjugio præerat.*

FUE.

PUERUM docet, quibus artibus Herum sibi concilIet: eo scilicet volente, peregrinetur, nautæ munere fungatur, atque armis vinci se sinat. Inde fieri addit, ut ille munera a Domino suo vel invito obtineat.

AD PUERUM.

TU domino quodcumque tuo tentare libebit,
  Cedas. Obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
  Et Canis arenti torreat arva siti.
Quamvis prætexens picea ferrugine cælum,
  Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cæruleas puppi volet ire per undas;
  Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros subiisse labores,
  Aut opere insuetas atteruisse manus.
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
  Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi tentabis ludere dextra.
  Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit: rapias tum prima licebit
  Munera: contendet, sed tamen apta dabit.

ADNOTATIONES.

Cedas) *Concedas domino, quicquid te experiri velit.*

Canis) *Canicula. Sidus cæleste. Vid. pag. 126.*

Picea] *Obscura.*

Opere) *Opere scilicet faciundo.*

Si volet arma) *Italice*: Se vorrà teco schermire: giuocar di spada. *Operam lanistæ Romani dabant: ejusmodi exercitationem* arma *vocabant*. Scherma.

Nudum) *Ictui expositum*. Indifeso, aperto.

Tunc tibi) *Lætus ob victoriam armorum, quam sibi debebit.*

JU-

JUVENES hortatur, ut Poesi operam navent; nam Musarum alumni æternitati vivunt. Quod si autem sibi morem non gesserint; execrationibus urgendos esse dicit.

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ AD JUVENES.

PIERIDAS pueri, doctos & amate poetas.
  Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmnia ni sint,
  Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, vivet: dum robora tellus,
  Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui Pallada temnit:
  Idææ currus ille sequatur Opis.
Et tercentenas erroribus expleat urbes,
  Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

ADNOTATIONES.

Pieridas) *Musas scilicet; a Piero Thessaliæ monte, ubi eas Mnemosyne ex Jove peperit. Alii aliter.*

Carmine) *Coma Nisi, & Pelopis humerus carminibus debent, quod tota purpurea feratur illa; totus hic eburneus.*

Nisi] *Nisus Megarensium Rex toto capillamento canus; uno tantum purpureo insignis capillo,*

Pelopis) *Pelopem filium convivantibus Diis vescendum tradit pater Tantalus. Jovi scelus suboles, comesa humeri parte. Statim jubet puerum reviviscere, absumtamque partem, addito ebore, supplet.*

At quis) *Altera pars.*

Idææ) *Fiat unus ex Corybantibus Opis currum insequentibus. Ops eadem, quæ* Cybele: *Idæa autem dicta, quod in antro* Idæ *montis Jovem puerum a Saturni insidiis defenderit.*

Et tercentenas) *Nulla certâ domo vitam ducat.*

Et secet) *Phrygio tibiæ sonitu vulneribus sese afficiat. Vid. Galliambum Catulli pag. 52.*

E X.

V.

EXPOSTULAT 1. cum Delia, quod se minus diligat, cuius votis sanitati restituta fuerat. 2. Digreditur ad vitæ beatitatem describendam, quam rure ductum sibi esse animo fingebat, si, Delia sospite, cum eâ, ac Messalâ rusticatus esset.

AD DELIAM.

ASPER eram, & bene discidium me ferre loquebar,
  At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo,
  Quem celer assuta versat ab arte puer.
Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quicquam
  Magnificum posthac, horrida verba doma.
Parce tamen, per te conjunctæ fœdera destræ,
  Per Venerem quæso, compositumque caput.
Ille ego, quum aristi morbo defessa jaceres,
  Te dicor votis eripuisse meis.
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
  Carmine quum magico præcinuisset anus.

Ipse

ADNOTATIONES.

Asper &c.) *Ferus eram, ac dicebam, facile me a Delio divelli*,

Gloria) *Gloriatio, qua me fortem vebar.*

Namque agor) *Confert se turbini* (palèo, trottola) *quem puer*, Cupido *scilicet, circumagit.*

Ure ferum) *Permissionis hujus est immodica animi ægritudo*. Strazia pur, Delia, col fuoco, e co'tormento quest' altiero, questo feroce; e, perchè più non abbia talento di millantarmi, riducimi colla forza a deporre ogni parola d' orgoglio, di fierezza. *Verba horrida hic sunt*, minarum, *ac* superbiæ plena.

Parce) *Gratam sibi Deliam vult, quod capite periclitantem votis suis morti eripuerit.*

Ipseque) *In lustrationibus utebantur numero ternario, ac sulfure: corporum quoque morbis medebatur cantus.*

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
  Somnia, ter sancta deveneranda mola.
Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
  Vota novem Triviæ nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter honore,
  Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
  Fingebam demens, sed renuente Deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
  Area dum messes sole calente teret.
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
  Pressaque veloci candida musta pede.
Consuescet numerare pecus: consuescet amantis
  Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,

Pro

Procuravi) *Expiavi cæsis victimis, ne somnia triste aliquid portendentia nocerent.*

Deveneranda) *Amolienda molæ oblatione.* Da dileguarsi &c.

Mola) *Farre molito. Vestales farre selecto, ac mosto* molam *ter quotannis faciebant, adjecto sale tum cocto, tum duro: quam inter victimæ cornua Sacerdotes locabant. Unde* Immolare. *Mola olim idem forte, quod hodie* Migliaccio.

Velatus filo) *Filum lanæ, velamen erat, inquit Livius lib.* 2.

Solutis) *In sacris omnia soluta erant, capilli, vestes, calcei, hostia ipsa.*

Triviæ) *Dianæ. Vid. pag.* 32. *v.* 16.

Vota dedi) *Quæ vovi, reddidi: nam sequitur* Omnia persolvi.

At mihi) *Altera pars. Vitam felicem sibi fingebat, si in fundum secum secessissent Delia, ac Messala, nam agri colendi, habendi pecoris, ac religionis Delia scientissima erat.*

Verna) *Puer domi ex ancilla natus:* Servo nato in casa: *quem amore pene materno futurum, ut Delia complecteretur.*

Illa Deo) *Frugum, fructuumque primitias diis agriculturæ præsidibus statis diebus ponet. Vid. pag.* 125. *v.* 33.

Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ,
Et juvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus.
Et tantum venerata Virum, hunc sedula curet:
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.
Hæc mihi fingebam: quæ nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.

A D N O T A T I O N E S.

Segete) *Ultima in* segete *syllaba græcorum more producitur.*

Huc) *Argumentum alterum suæ felicitatis, quod in illum quoque fundum secedet Messala.*

Virum) *Extrema syllaba* rum *non eliditur, ac producitur.*

Curet) *Hospites curari dicebantur.* Lui serva.

Jactat) *Longinquam regionem, ut acerbam voti sui frustrationem explicet, designat:* Odoratos *dixit* Armenios, *quod apud eos frutices beneolentes veniant.*

D I R Æ I N S A G A M

SANGUINEAS edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animæ circum sua fata querentes
Semper, & e tectis Strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quærat, & a sævis ossa relicta lupis.
Currat & in tenebris amens, ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.

 as-

Animæ) *Umbræ mortuorum, quos malis artibus morti devoverat Saga, ejus oculis sese ingerant.*

Strix) *Avis nocturna malique ominis:* Strige.

Fame) *Fame ad sacrilegia adigatur.*

Ululet) *Eo melancholiæ genere vexetur, quo lupi*

affecti ululatus tollunt: eamque canum turba exagitet.

VI.

IN CUPIDINEM.

SEMPER, ut inducar, blandos offers mihi vultus;
Post tamen es misero tristis & asper, Amor.
Quid tibi, sæve Puer, mecum est? an gloria magna,
Insidias homini composuisse Deum?

ADNOTATIONES.

Inducar) *In casses fraude pertrahar, decipiat.*

JUVENES deliciis diffluentes, Dei, ac Sacerdotis jussu templo arcet.

IN DELICATOS.

HINC procul abstitis, quisquis colis arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.
Quisquis & occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, atque aliâ stet procul ante viâ.
Sic fieri jubet ipse Deus: sic magna Sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flam-

ADNOTATIONES.

Hinc) *Arcet juvenes cincinnatos, ac laxis togis, seu discinctos: quod delicatulorum erat.*

Magna) *Bellonæ sacrificulam, ut auctoritatem ei conciliet,* Magnam *vocat. Bellona eadem forte, quæ Minerva, belli Præses.*

Divino) *Divinante.*

Hæc) *Hæ sacrificulæ, sectis humeris, utraque districtos manu gladios exserentes; currebant, insaniebant, ac suo cruore Bellonæ litabant.*

Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam.
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus:
Et canit eventus, quos Dea magna monet.

Inulta) *Nemine videlicet ulciscente.*
Præfixa veru) *Lanceolâ cutem inter, saginamque adacta.*

MONET Anum Deliæ matrem, ut eam fidam esse suadeat. Deliam porro, si fidem servet numquam verberatum iri a Tibullo, felicemque senectutem a Diis consecuturam.

AD ANUM.

VIVE diu mihi, dulcis Anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.
Te semper, natamque tuam te propter amabo,
Quicquid agat, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.
Et mihi sint duræ leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos adpetat illa meos.

Annos contribuisse &c.) *Italice :* Vorrei unir co' tuoi gli anni miei: teco ripartirli, dividerli.
Amabo] *Obsequar.*
Quicquid agat] *Quicquid erret, peccet.*
Casta) Castæ *dicebantur quoque matronæ viris suis fideles.*
Quamvis) *A signis ostendit, Deliam maritam esse, ac vilioris conditionis feminam : nam* vittæ *Innuptarum ;* stolæ *autem Nobiliorum insignia.* Vitta *ligamentum capitis ;* stola *vero vestis ad talos demissa.*
Et mihi) *Si fida sit Delia; dura quædam, ac difficilia sibi servanda proponit.*
Adpetat] *Involet, seu irruat irata.* Mi si avventi agli occhi.

Et si quid peccasse puter, ducterque capillis
Immerito, pronas per rapiarque vias.
Non ego te pulsare velim: sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec sævo sis casta metu, sed mente fideli
Mutuus absenti te mihi servet amor.
At quæ fida fuit nulli, post victa senectâ
Ducit inops tremulâ stamina torta manu.
Firmaque conductis adnectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident, juvenumque catervæ
Commemorant merito tot mala ferre senem.
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, & infidis quam sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum canâ simus uterque comâ. NA-

Peccasse] *Officia conjugi debita negligendo.*

Immerito) *Etsi nil meruerim; ex tenui suspicione reus fuerim.*

Non ego) *Tu neque merito a me* pulsaberis, percutieris.

Nec) *Per apostrophen ad Deliam extremam carminis partem absolvit.*

Nulli) *Non suo fida viro.*

Licia) *Fila* firma, *seu* tensa, *quibus in telis texendis textrices implicant stamina.*

Telis conductis] *Italice:* Tele pigliate a tessere a giornata: Pigliate a cottimo.

Putat) *Computat*, *supputat*, *numerat tracta*, *eorumque rationes ducit*. Tracta, orum, & tracta, æ, *est manipulus lanæ ad fusum involutus*, *postquam* tractus: *seu* netus *est*. Massa di lana già filata. Trahere *enim* lanam, *est* nere. *Vel putat*, *seu purgat*, *secernit*, *abjicitque*, *quod in lana asperum*.

Commemorant) *Quod eam in juventute superbam a majoribus natu audierint.*

Senem) Senex *vim adjectivi hic habet*. *Sic* senex cervus: senex Bacchus (*vinum*) senex memoria.

Hanc Venus) *In supplicio vetulæ*, *Venus sublimis*, *seu* difficilis, irata, *sibi placebit*.

Cadant) *Accidant*, *eveniant*.

Amoris) *Conjugalis scilicet*.

VII.

NATALITIUM Messalæ diem celebraturus, ad ejus victorias recensendas, multarumque regionum laudes excurrit. 1. Aquitaniæ meminit, de qua anno V. C. IↃCCXXVI. triumphum egit. 2. Ciliciæ, 3. Syriæ, 4. Ægypti, quibus in locis triennio ante præclare se gesserat: atque hinc occasione capta in Nili, Osiridisque commendationem digreditur, quosque ad Messalam, ejusque canendum Genium invitat. Innuit demum egregia quædam Messalæ opera ad Civium utilitatem Romæ exstructa.

DE DIE MESSALAE NATALITIO.

HUNC cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolüenda Deo.
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere: novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

ADNOTATIONES.

Parcæ) *Consule pag. 79.*
Non ulli) *Fato Jupiter ipse inserviebat, quem* δοῦλον θεὸν ἀνάγκης *(Deum necessitatis servum) ex Philemone Comico, Græci dixerunt.*
Hunc) *Natalem. Natali, quæ Messala gessit, tribuit, quod ex eo pendere die putaretur, quicquid homini obvenisset in vita.*
Aquitanas) *Aquitani Transalpinæ Galliæ populi.*
Atur) *Atures ad Aturum amnem, qui limes Aquitaniæ, Hispaniæque quondam fuit, habitabant.*
Evinctos] *Duces captos, qui evinctis brachiis victoris currum præibant.*
Victrices) *Laurea cingebatur corona; equisque albis Victor portabatur.*

Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti & flavi, cærula lympha, Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleis placidus per vada serpis aquis?
Quantus & ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis &, arentes quum findit Sirius agros,

Fer-

Non) *Sub te duce vel ipse militavi.*

Tarbella Pyrene) *Tarbelli Aquitanis quoque adscripti incolebant montes Hispaniam a Gallia dirimentes: quosque a* Pyrene, *Bebrycum regis filia*, Pyrenæos *Hercules nuncupavit. Hinc adjectivum* Tarbellus, a, um.

Santonici) *Santones, gens Aquitanica, Oceanum attingebant.* Popoli della Saintoge.

Arar &c.) *Aquitaniæ fluvii. Hodie* la Soane, le Rhone, la Garonne.

Carnuti) *Liger* [la Loire] *flavo crine Carnutos, Galliæ Celticæ populos ad Septemtrionem sitos, intermeat.*

An te) *Venit ad res apud Cilices, Syriosque gestas.*

Cydne) *Cydnus campestrem interfluit Ciliciam, inque sinum* Issicum (Golfo di Lajazzo) *se exonerat.*

Taurus arat) *Dividit, seu secat jugis suis Ciliciam a Pamphylia, & Isauria.* Intonsi *Cilices dicuntur, quia inculti, ac montani.*

Columba) *Syris, qui Palæstinam colunt, sacra erat columba, a qua vel tangenda abstinebant.*

Tyros) *Metonymia pro* Tyriis, *Urbs Syriæ. Mercaturæ Tyrii dediti, mare omnium primi tentarunt. Vide, quæ diximus pag. 66.*

Qualis) *Ventum est ad Ægyptum. Nilus æstate aquis exundat: atque hinc camporum fecunditas.* Pa-

tris

Fertilis æstivâ Nilus abundet aquâ?
Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.

tris *nomen multis de caussis suum fecit*. *Ejus* caput: *seu* origo *ignoratur*. Sirius (*hic pro* æstate) *stella est in ore Canis*. *Vid. pag.* 126.

Pluvio Jovi) *Jupiter Pluvius senex fingebatur, prolixa barba, capilloque, ac brachiis expansis imbres demittere*.

Te canit) *Nilus canit te, Messala, ac pubes Ægyptiaca docta plangere* (*plangendi*) *Bovem Memphitem*; *miratur* (*cum voluptate intuetur*) *te alterum Osirim*. *Osirim Bovem esse rebantur Ægyptii*: *eo enim interfecto a Stiphone fratre*, Bos *apparuit*, *quem* Apim *dixerunt*, *&* Osiridem *revixisse rati sunt*, *quem subinde in lacum demersum defleruns*, *ac* Memphytem *vocarunt*, *a Memphi Urbe ab Osiride olim excitata*.

Primus) *Osiridis laudes*, *agriculturæ præsidis*, *excurrit*.

Ille liquor) *Musices*, *ac Poeseos originem vinum fuisse dicit*.

Bacchus) *Hic pro* Vino.

Tristitiæ) *Pro* tristitiâ dissolvit. *Genitivus græcè pro ablativo*.

Bacchus & adflictis requiem mortalibus affert,
  Crura licet durâ compede pulsa sonent:
Non tibi sunt tristes curæ, nec vultus, Osiri:
  Sed chorus, & cantus, & levis aptus Amor;
S... varii flores, & frons redimita corymbis,
  Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriæ vestes, & dulcis tibia cantu,
  Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, & centum ludis, Geniumque choreis
  Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo;
  Et capite, & collo mollia serta gerat,
Sic venias hodierne: tibi dem turis honores,
  Liba & Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
  Augeat, & circa stet venerata senem.

Nec

Adflictis) *Mancipia vini potu hilarantur*. *Crura* pulsa, *pro* pulsata, percussa.

Vultus) *Hic est facies* tristis, *ac* severa.

Corymbis] *Racemis hederarum*. *Quæ Baccho fuerunt mysteria, Osiridi tribuit: nam qui Latinis Bacchus; Osiris Ægyptiis fuit*.

Lutea palla) *Crocea mulierum vestis ad talos usque demissa, qua Bacchus quoque utebatur*.

Tyriæ) *Purpureæ*. *Purpura apud Tyrios*.

Cista) *Vid. pag. 76*.

Huc) *Invitat Osirim ad Messalæ genium celebrandum*. *Genium una gigni nobiscum, deumque amoris finxit antiquitas*.

Funde) *Perfunde caput*.

Illius) *Voluptariis diis ungebantur comæ, colloque serta circumponebantur*.

Hodierne) *Pro* hodiernus, hodie.

Liba) *Epulæ Diis oblatæ*. *Dulciarii cibi genus, eratque ex farre, caseo, ovo uno, oleo, ac melle*. *Rectius libo, quam* molæ (*ut innuimus pag.* 140.) *respondet hodie* Migliaccio.

Mopsopio) *Mel mopsopium dicitur a Mopsopo Atheniensium rege*. *Hymettus autem mons Athenis proximus, apium mellificio nobilis*.

At tibi) *Ad Messalam apostrophe*.

Nec taceant monumenta viæ, quem Tuſcula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congeſta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic aptâ jungitur arte ſilex.
Te canet agricola, e magna quum venerit Urbe
Serus, inoffenſum retuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidor ſemper, candidiorque veni.

Nec) *Pars poſtrema. Nec ille, quem tellus Tuſcula, & ille, quem Alba detinet lare antiquo, taceant monumenta viæ. Itaque Tuſculani; Albanique celebrabant Meſſalam Corvinum, quod viarum ramos de ſuo curaſſet.*

Glarea) *Sabulum quoddam acervatum, aſperumque?* Ghiaja. *Viæ ſternendæ erant ſilice in Urbe; glareâ extra Urbem ſubſternendæ, marginandæque: ut ex Tito Livio lib.* XXXI. *colligitur.*

Te canet) *Qui vias ſternebat, populi ſtudia promerebatur.*

VIII.

DELIAM a ſe coli Vates aſſerit, teſi omnem corporis ornatum deſpicatui habeat: quod quoddam incantamenti genus dicit eſſe.

AD DELIAM.

QUID tibi nunc molles prodeſt coluiſſe capillos?
Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas?
Quid fucco ſplendente genas oneraſſe? quid ungues
Artificis doctâ ſubſecuiſſe manu?
Fruſtra jam veſtes, fruſtra mutantur amictus,

ADNOTATIONES.

Artificis) *Ad hoc opus tonſoris operâ, quem artificem Tibullus vocat, delicatuli utebantur.*
Amictus) *Veſtis exterior.*

Ansaque compressos colligit arcta pedes.
Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore,
  Nec nitidum tarda comserit arte caput,
Num me carminibus, num me pollentibus herbis
  Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
  Cantus & iratæ detinet anguis iter.
Cantus & e curru Lunam deducere tentat;
  Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
  Forma nihil magicis utitur auxiliis.

Ansa) *Italis*: Fibbia. *Strictiores calceos nunc quoque sibi amant juvenes.*

Tarda arte) *Dum enim moliuntur feminæ, dum comuntur, annus est.*

Num me) *Pars altera.*

Cantus) *Hic est*: Incapto, incantesimo,

E curru) *Luna curru vehi putabatur. Quoties ea deficeret; magicis artibus referebatur; eique cymbalorum, pelviumque strepitu opem tulit antiquitas.*

SENIO indulgendum dicit ex eo, quod juventus præterlabatur. Impia Epicuri sententia.

AD JUVENES.

HEU sero revocatur Amor, seroque juventas,
  Quum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ: coma tum mutatur, ut annos
  Dissimulet viridi cortice tincta nucis.
Tollere tum curæ est albos a stirpe capillos,
  Et faciem demta pelle referre novam.
At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
  Utere: non tardo labitur illa pede.

EXEM-

ADNOTATIONES.

Tincta nucis) *Nucis succo canos capillos atros faciebant vetulæ.*

EXEMPLO cujusdam Marathi, qui olim ferox, et fastidiosus fuit, a superbia Pholoen deterret, eamque monet, ut sibi reconcilietur.

AD PHOLOEN.

ODERUNT, Pholoe, moneo, fastidia Divi:
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amicos
Nesciunt ultorem post caput esse Deum.
Sæpe etiam lacrimas fertur risisse dolentis,
Et cupidum fictâ detinuisse morâ.
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi,
Quæcumque adposita est janua dura sera.
At te pœna manet, ni desinis esse superba:
Quam cupies votis hunc revocare diem!

ADNOTATIONES.

Fastidia) *Fastum, superbiam, contemtum.*

Deum ultorem) *Nemesim scilicet. Vid. pag. 91.*

Post caput esse) *Esse, urgere a tergo.* Essere alle spalle.

Et cupidum) *Amicum videlicet.*

Quæcumque) *Displicet se ab amicis, obducto foribus pessulo, excludi.* Che gli amici gli chiudan le porte, e le fermin col catenaccio, perchè non entri.

Diem) *Quo scilicet mecum in gratiam redire potes.*

VIIII.

DE Amico conqueritur, qui post datam amicitiæ fidem ab eo discesserat: auro corruptus ad Tibulli æmulum defecerat: iter cum eo susceperat, & arcana prodiderat.

AD AMICUM.

QUID mihi, si fueras miseros læsurus amores,
  Fœdera per divos clam violanda dabas?
Ah miser, etsi quis primo perjuria celat,
  Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus.
Parcite, Cælestes: æquum est impune licere
  Numina Romanis lædere vestra semel.
Lucra petens habili tantos adjungit aratro,
  Et durum terræ resticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
  Ducunt instabiles sidera certa rates.
Muneribus meus est captus comes: at Deus illa
  In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.
Jam mihi persolvet pœnas, pulvisque decorem
  Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur Sole capilli:

De-

ADNOTATIONES.

Fœdera dabas) *Dabas fidem. Jurabas mihi per Deos.*

Parcite) *Deos rogat, ne nimis rigidi sint in juvenem: nam aliquid ætati dandum.*

Lucra) *Excusat quoque Amici crimen ab eorum exemplo, qui lucrandi caussa longe gravissimos subeunt labores.*

Habili aratro) *Habile aratrum est, quod rusticus facile gubernet.*

Freta per parentia) *Maria ventorum arbitrio reguntur.*

In cinerem &c.) *In elementa sua redigat. Ita precabantur, quum irritum aliquid optarent.*

Iam mihi] *Amico huic suo peregrinanti malum deprecatur.*

Deteret invalidos & via longa pedes.
Admonui quoties, auro ne pollue fœdus.
Sæpe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit amicum;
Asperaque est illi, difficilisque Themis.
Ure meum potius flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti.
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse Deus tacito permisit vela ministro,
Ederet ut multo libera verba mero.
Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Jussit, & invitos facta tegenda loqui.
Hæc ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera cælo

Lu-

Admonui) *Verborum meminit, quibus Amicum, ne arcana vulgaret, monebat.*

Violavit) *Offendit.*

Themis) *Justitiæ Dea. Vid. pag. 98.*

Ure meum) *Deam rogat, ut se præ amico puniat. Respicit ad ea tria, in quæ jurabant nobiles quoque adolescentes, operam lanistæ daturi:* Uri flammis, virgis secari, necari ferro.

Tacito ministro) *Cui secretum retexerat.*

Permisit vela) *Hoc est, ebrietatis operâ loquendi potestatem fecit.* Lasciò le briglie ..

Auri pondere] *Ingens pecuniæ summa appendebatur, non numerabatur. Quæ, & quanta olim Tibullo dixerat Amicus, nunc commemorat.*

Pretium) *Hic pro mercede.*

Falernus) *Vide pag. 26.*

Eriperes) *Italice:* Mi avresti dato ad intendere. Mi potevi far credere: *Eripere hic est, veterem opinionem ex amico evellere, Italorum adagium:* Mi

da

Lucere, & puras fluminis esse vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus usque genas.
Tum miser interii stulte confisus amari;
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
At me nunc nostri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui fœdus vendere curæ est;
Et pretium plena grande referre manu.
At tua nunc me pœna juvet, Themidique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat: & grata sis, Dea, mente, rogat.

ADNOTATIONES.

daresti ad intendere, che gli asini volano. *Areo' Rol. Fur. c. 32. st. 39.*

A cui potevi far con tue parole
Creder, che fosse oscuro e freddo il Sole.

At non) *Dicit se deceptum fuisse, quod ipse a fallendo abstineat.*

Aurea palma) *Vovit dea manum auream, eamque in sacello forte suspenderat.*

Grata) *Orat, ut hæc aureæ manus dedicatio Deæ accepta sit.*

PARAPHRASIS LUDOVICI AREOSTI

IN ILLUD: EST DEUS, OCCULTOS &c.

Miser chi mal'oprando si confida,
Ch'ognor star debbia il maleficio occulto;
Che quando ogn'altro taccia, intorno grida
L'aria, e la terra stessa, in ch'è sepulto.
E Dio fa spesso, che 'l peccato guida
Il peccator, poi ch'alcun dì gli ha indulto,
Che se medesmo, senz'altrui richiesta,
Inavvedutamente manifesta.

AD

X.

AD BELLUM iturus primo militiam execratur; deinde pacis otia commendat.

IN BELLUM.

QUIS fuit horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus, & vere ferreus ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata;
  Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
  Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
  Faginus abstabat quum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
  Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
  Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor: & jam quis forsitan hostis
  Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis & iidem,
  Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
  Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Sta-

ADNOTATIONES.

Protulit) *De novo excogitavit.*
Nihil meruit) *Nullam commeritus est pœnam.*
Faginus) *Scyphus fagineus, e fago.* Bicchiero, Tazza, Nappo.
Varias) *Albas, nigras, maculosas.*
Foret) *Utinam fuisset.*
Vulgi arma) *Quæ vulgaribus hominibus, non sapientibus conveniunt.*
Micante) *Tremente, subsiliente.*
Lares] *Laribus domesticis se commendat, ex eo, quod pusillum puerum educavissent.*
Cursarem) *Puerilium lusuum hic meminit.*

Stabat in exigua ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos, liba ipse ferebat.
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis ærata, Lares, depellite tela,
Hostia erit plenâ rustica porcus harâ.
Hanc purâ cum veste sequar myrtoque canistra
Vincta geram, myrto cinctus & ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
Sternat & adversos Marte favente duces.
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, & in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, & Stygiæ navita turpis aquæ.
Illic exesisque genis, ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parvâ pigra senecta casâ!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.

Sic

Spicea serta) *Cereris fuerunt propria: sed & Ceres ipsa Diis quoque domesticis, & Laribus rusticis adscripta.*

Ærata tela) *Ferrata.*

Hostia) *Cadat vobis porcus pinguissimus.*

Pura cum veste) *Erat linea, & purpurea, nec maculam habebat. Ubi Canistrum, i; canestro, cesto, paniere.*

Myrto) *Myrtea quoque corona Lares donabantur.*

Quis furor) *Excurrit in mortem: apud inferos bonis omnibus carere necesse est, quibus vivi gaudemus.*

Navita) *Charon.*

Exesis) *Larvæ mortuorum fingebantur genis excavatis, & calvæ, comisque ustis.*

Quam potius) *Strenui milites pro concione laudabantur. Hinc venuste dicit laude dignum potius esse, qui procul bello in pace senescit.*

Prole parata) *Liberis susceptis.*

Comparat) *Parat aquæ calidæ balneum, ut mos erat.*

Sic ego sim, liceatque caput candescere canis?
  Temporis & prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat: Pax candida primum
  Duxit araturos sub juge curva boves.
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
  Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent: at tristia duri
  Militis in tenebris occupat arma situs.
At nobis, Pax alma veni, spicamque teneto:
  Perpluat & pomis candidus ante sinus.

Canis) *Albis capillis, quod militibus raro licet.*
Interea) *Altera pars. Ad Saturni ætatem respicit.*
Testa) *Vas Vinarium. Vina a patre condita filius promebat, quum diu servata essent.*
Candidus sinus) *Sinus vestis albæ, qua Pax dea induebatur, pomis perpluat.* Trapiovi di frutta.

EOS INSECTATUR, qui Uxores suas verberant.

IN CONJUGES.

Ah lapis est, ferrumque, suam quicumque maritam
  Verberat: e cælo deripit ille Deos.
Sit satis, e membris tenuem rescindere vestem:
  Sit satis ornatus dissoluisse comæ.
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus
  Quoi tenera irato flere marita potest.
Sed manibus qui sævus erit; scutumque, sudemque
  Is gerat, & miti sit procul ille domo.

AL-

Lapis, ferrum) *Durus, crudelis.*
Deripit) *Ita loquebantur de atroce aliquo facinore, ad Gigantum fabulam respicientes.*
Rescindere] *Rescindere vestem e membris, modus est loquendi rarior.*
Tenuem vestem) *Puta Coam.*
Scutum &c:) *Militiæ durum opus exerceat, & Bellonam sequatur.*

ALBII TIBULLI
EQUITIS ROMANI
ELEGORUM LIBER II.

I.

SACRUM Ambarvale describit: rura, & ruris Deos laudat; quibus mitioris victus, ædificandi, boves domandi, arbores inserendi, hortos colendi, vindemiæ ac messis faciendæ, mellis colligendi, cantus præterea, saltationis, rudimentorum poeticorum, cirellarum, lanificii tribuit inventionem. Cupidinem *deinque diis rusticis adcenset, more suo παρέκβασιν ἐρωτικὴν suavissimam adjugens.* Hæc est Vulpio.

SACRUM AMBARVALE.

Quisquis ades, faveas: fruges lustramus, & agros:
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat: & spicis tempora cinge Ceres.

Lu-

Faveat) *Indicto* Favete, *vel* Favete linguis. *Qui sacris aderant, silentium faciebant.*

Lustrare) *Expiare circumeundo. Victima circum arva maturis frugibus ducebatur, omnibus subinde inclamantibus: ex quibus unus oleagina ornatus corona Cereris, & Bacchi laudes decantabat. Victima erat,* Sus, Ovis, Taurus: *atque hinc sacra* Suovetaurilia: *& ab ambiendis arvis hostia* Ambarvalis *dicebatur.*

Cornibus) *Aurea tribuebantur Baccho cornua, tum aliis de caussis, tum quod fortasse flava ejus coma cornuum figuram exhiberet.*

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
  Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad præsepia debent
  Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo: non audeat ulla
  Lanificam pensis imposuisse manum.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
  Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
  Vinctaque post oleâ candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes.
  Vos mala de nostris pellite limitibus:
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
  Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
  Ludet, & ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
  Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
  Consulis: & Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere

Est

Omnia) *Italice*: Il tutto concorra al sacrifizio *Ubi Deo*, *pro* Deis.

Fulgentes] *Igne scilicet, in aris accenso, ad victimam comburendam*.

Eat) *Sua sponte: si quid obluctaret victima, ominosum erat. Ubi* comas *grace pro* comis.

Nitidus) *Bene saginatus, cui nitet cutis*. Ben in carne: ben pasciuto.

Signa] *Divitis coloni* signum, *seu* argumentum, *erat vernarum numerus*.

Extis) *Augures, Haruspices, seu Extipices, quum, quæ in extis observabant, divulgarent*, nuntiare, *ac* denuntiare *dicebantur*.

Falernos) *Cados vini Falerni*.

Solvite) *Hujusmodi cadi pice erant obstricti. Italis est*: Mettete a mano, spillate la botte.

Madere) *Ebrium esse*.

Est rubor, errantes & male ferre pedes.
Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis.
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur Agricolis gratia Cælitibus.
Rura cano, rurisque Deos: his vita magistris
Desuevit quernâ pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire casam.
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
Servitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri: tunc insita pomus:
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores:
Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi quum Sideris æstu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro,
Cantavit certo rustica verba pede.
Et satur arenti primum est modulatus avenâ
Carmen, ut ornatus diceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti

Pri-

Male ferre) *Titubare*. Barcollare. Andare a spina pesce.

Bene .. dicat) *In joco ac vino Messalæ fausta omnia quisque precetur. Benedicere cum acc., rara syntaxis.*

Aquitanæ) *Consule pag.* 149.

Intonsis avis) *Romanorum Majoribus, qui antiquitus tonsoris operâ non utebantur.*

Adspira) *Fave propitius.*

Vita) *Homines scilicet, qui glande vesci olim solebant.*

Tigillis) *Tigillum*, travicello, afficella: *Plaustrum*, carro.

Annua terra) *Quæ quotannis renovatur.*

Minio suffusus) *Bacchi faciem minio quoque tingebant rustici.*

Primus inexperta duxit ab arte choros,
Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primam de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & femineus labor est, hinc pensa, colusque
Fusus & apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assidue textrix operata minervæ
Cantat, & applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges, interque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse superbos
Gestit, & audaces perdomuisse viros.
Hic juveni detraxit opes: hic dicere jussit
Limen ad iratæ verba pudenda senem.
Ah miseri, quos sic graviter Deus urget; at ille
Felix, cui placidus leniter afflat amor.
Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet.
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba jocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curva sono.
Ludite: jam nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris festivo sidera fulva choro.

Post-

Inexperta) *Intentata.*
Lucida ovis] *Ovis nitido vellere.* Lucida, e grassa.
Minervæ) *Minerva textrinæ præerat.* Moton. Applauso *est hic*, leviter percusso: *dum textrix hinc atque hinc telam percutit, constringitque; sonitum hæc edit.*
Ipse) *Pars ultima. Ad Cupidinem digreditur.*
Iratæ) *Subaudi* mulieris.
Pone] *Depone.*
Palam) *Qui adsunt, clamoribus, quos tollunt, quæ vota fiant, audiri non sinunt. De phrygia tibia consule Galliambum versu 22.*
Matris] *Noctis.*

Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

Fuscis) *Joannes Casa cecinit.*

A me ten' vola, o Sonno, e l'ali
Tue brune sovra me distendi e posa.

II.

DIEM Cerinthi sui amicissimi natalitium celebraturus Vates, invitat primo Genium ture ac vino ad epulandum. Deinde, quæ Cerinthus ipse ab eo rogaturus sit, exponit.

DE DIE CERINTHI NATALITIO.

DICAMUS bona verba, venit Natalis, ad aras.
Quisquis ades, lingua vir, mulierque fave.
Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo:
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat &, Cerinthe, tibi quodcumque rogabis,
En age, quid cessas? adnuet ille, roga.

Augu-

Dicamus) *Quicumque ad aras accedimus, loquamur verba* boni ominis*: deus enim Natalis venit.*

Fave) *Vide pag.* 162.

Odores) *Puta Cynnamomum, costum, casiam; bdellium, stacten, quæ omnia Arabis proveniunt.* Tener *Arabs, est* deliciis diffluens.

Ipse) *Genii invocatio. Vid. pag.* 152.

Adnuat) Adnuere est, *capitis nutu postulata concedere*. Accordare.

Auguror, Uxoris fidos optabis amores,
  Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
Nec tibi malueris, totum quæcumque per orbem
  Fortis arat valido rusticus arva bove.
Nec tibi gemmarum quicquid felicibus Indis
  Nascitur, Eoi qua mari unda rubet.
Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,
  Flavaque conjugio vincula portet Amor?
Vincula quæ maneant semper, dum tarda senectus
  Inducat rugas, inficiatque comas.
Hac venias Natalis avi, prolemque ministres,
  Ludat & ante tuos turba novella pedes.

Auguror) *Altera pars. Vaticinor, te fidam tibi uxorem tantum rogaturum esse.*

Edidicisse) *Meminisse, ac memoria tenere.* Saperlo a mente. *Sensus est: quæ rogaturus es, arbitror, Deos memoria tenere, quum toties ea postulaveris.*

Maris unda) *Mare Erythræum, seu Rubrum ab Erythra Rege, in una insularum Oceani ad Meridiem sepulto.*

Cadunt) *Accidunt, eveniunt.* Trepidantibus *valet* adcelerantibus:

Vincula) *κεστόν, seu Cestum, cingulus ille lutei coloris, quo Venus Martem, & Juno Jovem sibi conciliarunt.*

Hac venias) *Natalis, veniat hac avi, seu ave.* O natalizio Nume, quest' alato Amore sia l' augello di felice augurio, che venga teco. *Die enim natali ab ave, seu boni, seu mali ominis, quæ futura erant toti vitæ, prævidebantur. Hinc rogat Natalem, ut, velut Avem fausti ominis, Cupidinem secum ferat. Avem quoque dixit Amorem Chiabrera. Parte II. Edition. Rom.*

> Quando a me su l'auree penne
>   Se ne venne
> L'almo Augel di Citerea.

Turba novella) *Liberi subcrescentes ludant ante focum, o Geni, ubi & tu deos inter Lares positus eo*

III.

AIT 1. male se ferre, Nemesim rusticari. 2. Se ad Apollinis exemplum rustica opera sponte facturum. 3. Cereri imprecatur, quæ Nemesim ab urbe abduxerat. Elegiam hanc ad Cerinthum inscribit.

AD CERINTHUM.

RURA meam, Cerinthe, tenent, villæque maritam.
Ferreus est eheu quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus lætos jam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, quum dominam adspicerem, quam fortiter illis
Versarem valido pingue bidente solum!
Agricolæque modo curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves.
Nec quererer, quod Sol graciles exureret artus,
Læderet aut teneras pustula rupta manus.
Pavit & Admeti tauros formosus Apollo:
Nec cithara, intonsæ profueruntve comæ.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis.
Quicquid erat medicæ, vicerat, artis, Amor.
Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties illo vitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse Soror!
O quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves!

Sæpe

Pavit) *Apollo, Admeti Thessaliæ Regis amore succensus; ejus armenta pavisse dicitur juxta Amphrysum amnem. De intonsa Apollinis coma vide pag.* 140

Fiscella) *Calathus in cogendi lactis usum.* Cestella, fiscella. Detexta est *valet perfecte texta est.*

Sero] *Quicquid aquosi in lacte, serum dicitur: per nexus, seu foramina exprimitur, ut pars crassior in caseum obrigescat.*

Soror) *Diana scilicet Venatrix.*

Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus:
  Venit & a templis irrita turba domum.
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
  Quos admirata est ipsa Noverca prius.
Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
  Adspiceret, Phœbi quereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho?
  Nempe Amor in parva te jubet esse casa.
Felices olim, pecori quum fertur aperte
  Servire æternos non puduisse deos.
At tibi, dura Ceres, Nemesin quæ abducis ab urbe
  Persolvat nulla semina terra fide.
Et tu, Bacche tener, jucundæ consitor uvæ,
  Tu quoque devotos, Bacche relinque lacus.
Haud impune licet matronas tristibus agris
  Abdere: non tanti sunt tua musta, Pater.

Sæpe duces) *Admeto serviens Apollo, oracula non canebat in templis. Vid. pag.* 168.

Latona). *Apollinis mater dolebat, quod coma Filius negligeret.*

Noverca) *Juno, quæ etsi privignis suis infensa; Apollinis tamen comam admirabatur.*

Quæreret] *Desideraret.*

Delos) *Apollinis patria, ubi Fanum excitatum ei fuerat.*

Delphica Pytho] *Apollinis oraculo insignis. Urbs Phocidis in Parnassi valle, quam Pythonem Veteres, Delphos Recentiores vocarunt.*

Felices) *Subaudi mortales ævi antiquioris. Impia sententia, ac risu excipienda.*

At tibi) *Ultima pars.* Dura *hic est* crudelis.

INVEHITUR 1. in divitias malis artibus partas. 2. Queritur de conjugibus, quæ ornatus elegantiores amant. 3. Concludit, velle se pretiosis vestibus, ac regio plane servitio conjugem suam donare.

IN HOMINUM, AC MULIERUM LUXUM.

FERREA non Venerem, sed prædam sæcula laudant.
 Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis.
 Hinc furor, hinc cædes, mors propiorque venit.
Præda vago jussit geminare pericula ponto,
 Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere campos,
 Ut multo innumeram jugere pascat ovem.
Quid lapis externus curæ est Urbique tumultus,
 Portatur validis mille columna jugis?
Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
 Negligat hibernas piscis adesse minas?
Nota loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
 Bar-

Ferrea sæcula) *Homines scilicet ferrei.*

Geminare pericula] *Ex præliis scilicet navalibus.*

Rostra) *Rostro ferreo impacto, naves navibus hostium vehementer nocebant.*

Urbique) *Ordo est. Quid columna, tumultus Urbi, portatur mille jugis* boum. A che si portan con mille paja di buoi a metter soffopra Roma le Colonne?

Negligat] *Piscis in vivario maris procellas per hiemem foris debacchantis parvipendat.*

Nota loquor) *Interpretarer.* Parlo di cose note: è qual Re venerato, chi barbaro schiavo nel serraglio fu più volte obbligato ad aver le gambe segnate di gesso.

Regnum) *Qui e mancipio dives fiebat, Rex ab adulatoribus, ac parasitis appellabatur.*

Sæpe (*Qui sæpe venalis prostitit, quod turpius erat.*

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ,
Fictaque Cumanâ lubrica terra rotâ.
Heu heu divitiis video gaudere puellas,
Jam veniant prædæ, si Mea quærat opes.
Ut mea luxuriâ Nemesis fluat: utque per Urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Barbara Catasta) *Locus erat, ubi servi e barbara aliqua regione prostabant*. Serraglio di Schiavi.

Gypsatos) *Gypso illitos, inque eo signum imprimebatur ad mancipii patriam, dominumque indicandum*.

At tibi) *Sensus est: Qui dives fieri non curat, cibum sumet e Samiis, & Cumanis fictilibus. Samos, & Cumæ figlinis operibus nobiles*.

Testæ) Crete, Majoliche.

Heu) *Pars altera*.

Jam veniant) *Contemsit adhuc opes militiâ partas: animum mox ad militiam appellit, ut sibi suppetat, unde Nemesim regio quoque famulatu donet*.

Luxuria] *Divitiis*. Lusso.

Incedat] Incedere *proprium est matronarum*.

Tenues) *Pellucidas. Ex Co insula Romam hæ mittebantur*.

Auratas vias) *Ramos aureos procurrentes inter telam*.

Comites fusci) *Nigri Æthiopes, quibus matronæ utebantur*.

Puniceum) Rosso sanguigno, *vel* violato.

Purpureum) Porporino.

IIII.

QUERITUR 1. se invitum matrimonii jugum subire. 2. Dolet, sponsam non Elegos, sed munera sibi optare. 3. Templorum se grassatorem fieri, oportere, ut Nemesim locupletetur. 4. Conjugi opes non appetenti fausta; avaræ infausta omnia precatur. 5. Avaræ conjugi se nupsisse iterum dolet.

DE SEIPSO.

HIC mihi servitium video, dominamque paratam:
 Jam mihi libertas illa paterna vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
 Et numquam misero vincla remittit Amor.
O ego ne possim tales sentire dolores,
 Quam mallem in gelidis montibus esse lapis!
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
 Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est,
 Omnia nam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo,
 Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul Musæ, si nil prodestis alumno.
 Non ego vos, ut sint bella canenda, colo.
Nec refero Solisque vias, & qualis, ubi orbem
 Complevit, versis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
 Ite procul Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem, & facinus sunt dona paranda,
 Ne jaceam clausam flebilis ante domum.

Aut

Hic &c.) *Nunc conjugii jugum subeo*.
Naufraga) *Naufragii caussa*.
Nunc) *Pars secunda*.
Nec refero) *Nec poema condo de rebus cælestibus*.
Ad Dominam) *Uxorem*. Co'versi cerco d'esser ben accolto.
At) *Pars tertia*.
Ne jaceam) *Ne vilis sim, ac lacrimis dignus*. Perchè

Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis.
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat quicumque legit viridesque zmaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiæ caussas, & Coa puellis
Vestis, & e Rubro lucida concha mari.
Hinc fletus, rixæque sonant: hæc denique caussa,
Fecit, ut infamis hic Deus esset Amor.
At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,
Diripiant partas ventus, & ignis opes.
Quin tua tunc juvenes spectent incendia læti,
Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mæstas munus in exsequias.
At bona, quæ nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo.
Et, Bene, discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securæ sit super ossa levis.
Vera quidem moneo: sed prosunt quid mihi vera?

chè avvisito, e degno di lacrime non abbia a vedermi escluso dalla tua casa. *Nam si munera non ferret, sentiebat se arcendum illius domo.*

Insignia) *Donaria, quæ Diis oblata in templis suspendebantur.*

Venus] *Veneris templum præ aliis compilandum dicit.*

Malum facinus) *Sacrilegium.*

O pereat) *Digreditur in eos qui, hujusmodi opes invenerint.* Ovem *pro* lana.

Hic) *Sensus est. Qui legit zmaragdos, ac lanam tingit murice: & vestis Coa, & concha lucida e mari Rubro dat puellis avaritiæ caussas.* Porge pretesto. *Lucida concha.* Madreperla. Conchiglia.

At tibi) *Pars quarta.* Or a te, che mi ricusi per marito, perchè altri mi vince in regalarti, ricchezze così acquistate il vento, e 'l fuoco te le depredi, te le divori.

Vera] *Pars Postrema.*

Illius est nobis lege colendus amor.
Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas;
Ite sub imperium, sub titulumque lares.
Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni;
Quicquid & herbarum Thessala terra gerit:
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu;
Mille alias herbas misceat illa; bibam.

Ite) *Quum venalem domum Veteres significare vellent, in ejus fronte suspendebant inscriptas tabellas, quas* titulos *appellabant.* Titulus *autem erat inscriptio, venditionis caussam notans.*

Circe, Medea) *Veneficii peritissimæ.*

Thessala) *Thessalica gramina ad veneficia aptissima celebrabantur.* Gerit *pro* fert, educat.

Alias &c.) *Aliarum herbarum succos misceat.*

V.

MESSALINUM M. Valerii Corvini Messalæ filium in Collegium Quindecim Virorum cooptatum celebrat: ac 1. Phœbi opem implorat. 2. Fausta Cumææ Sibyllæ de Ænea ad Latium appulsu oracula commemorat. 3. Quicquid triste de Romanorum rebus aliæ præcinuerunt Sibyllæ, exponit. 4. Ad Phœbum redit, eumque Romanis tandem pacatum ex effectis commonstrat.

DE MESSALINO SACRIS INITIATO.

PHOEBE fave; novus ingreditur tua templa sacerdos;
Huc age cum cythara, carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus, pulcerque veni: nunc indue vestem

Se-

Phœbe) *Phœbus Sibyllas afflare dicebatur.*

Novus Sacerdos) *Recens adscriptus collegio* xv. *virorum, quorum cura fuit Sibyllinos versus interpretari.*

Cumulant) *Sacerdotes partes tertas e victima decisas, & coacervatas aris imponebant, ut comburerentur.*

Nitidus) *Videlicet unguento.*

Sepositam: longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
 Victori laudes concinuisse Jovi.
Tu procul eventura vides: tibi debitus augur
 Scit bene, quid fati provida cantet avis.
Tuque regis sortes; per te praesentit Haruspex,
 Lubrica signavit quum Deus exta notis.
Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla est,
 Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe sacras Messalinum sine tangere chartas
 Vatis: & ipse, precor, quid canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
 Dicitur, & raptos sustinuisse Lares:
Nec fore credebat Romam, quum maestus ab alto
 Ilion, ardentes respiceretque Deos.
Romulus aeternae nondum formaverat Urbis
 Moenia, consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccae,
 Et stabant humiles in Jovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,
 Et facta agresti lignea falce Pales.

Vestem sepositam) *Palla erat auro contexta, qua utebantur Citharoedi ad laetiores dies agendos.*

Saturno) *Saturnus Jovi filio insidiatur, qui, scelere detecto, patrem e Creta expellit.*

Avis) *Quicquid eventurum erat, avis garritu suo praecinere putabatur.*

Lubrica) *Haruspices docebant, quid certae notae in pecudum visceribus portenderent.*

Sibylla) *Cumaea scilicet, quae hexametro versu edebat oracula.*

Chartas vatis) *Libros Sibyllae.*

Parentem) *Anchisen, ac Deos penates e mediis hostibus, ac flammis Aeneas eripuit.*

Ab alto) *A mari.* Ilion, *Trojam.* Consorti, *h. e. Fratri Remo.*

Sed tunc) *Ex rusticis operibus describit, quid Roma antiquitus fuit.*

Herbosa Palatia) *Montem Palatinum.* In Jovis arce, *h. e. Capitolio.*

Pan, Pales) *Dii pastorales, queis lacte litabant, in stipitibus arte rustica insculpebantur.*

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra Deo.
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;
Nam calamus cera jungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illâ sæpe gregis diti placitura magistro
Ad dominum festâ vecta marita die est.
Cum qua fecundi redierunt munera ruris
Caseus, & niveæ candidus agnus ovis.
Impiger Ænea volitantis frater Amoris,
Troïa qui profugis sacra vehis ratibus.
Jam tibi Laurentes adsignat Jupiter agros:
Jam vocat errantes hospita terra Lares.
Ilic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda Deum cælo miserit indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes.
Tandem ad Trojanos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.
Jam tibi prædico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque, Lavini est,
Al-

Silvestri Deo) *Fauno, vel Silvano, &c.*

Velabri) *Velabrum planities erat inter Capitolium, Palatinum, atque Aventinum, ubi inundantes Tiberis aquæ olim stagnabant. Decursu temporis situm in eo fuit Boarium forum.*

Illâ) *Scilicet Aquâ.*

Festa die) *Palilibus scilicet, quæ XI. Kal. Majas agebantur, quum pecora maxime sint fecunda.*

Impiger) *Secunda pars. Cumææ Sibyllæ vaticinium.*

Amoris) *Cupido, & Æneas e Venere geniti.*

Troïa sacra) *Deos Trojæ patronos.*

Laurentes agros] *A Laurento oppido ita appellatos.*

Numici) *In Numicio Latii amne, immersus Æneas periit: ibique Ascanius templum exstruxit. ac Deum Indigetem Parentem optimum appellavit.*

Rutulis] *Rutuli, Turno Duce, bello Trojanis illato devicti sunt.*

Lavini) *Lavinium Urbs, a Lavinia Æneæ conjuge nomen accepit.*

Albaque ab Ascanio condita Longa duce .
Te quoque jam video , Marti placitura sacerdos
Ilia , vestales deseruisse focos .
Carpite nunc, tauri de septem montibus herbas ,
Dum licet : hic magnæ jam locus Urbis erit .
Roma , tuum nomen terris fatale regendis
Qua sua de cælo prospicit arva Ceres :
Quaque patent ortus , & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos .
Troja quidem tum se mirabitur , & sibi dicet
Vos bene tam longâ consuluisse viâ .
Vera cano : sic usque sacras innoxia laurus
Vescar , & æternum sit mihi virginitas .
Hæc cecinit vates & te sibi , Phœbe , vocavit ,
Jactavit fusâ sed caput ante comâ .
Quicquid Amalthea, quicquid Mermessia dixit ,
Herophile Phœbo grata quod admonuit :
Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes

Alba Longa) *Albam Longam Ascanius regni sedem condidit* .

Ilia) *Quæ & Rhea, & Silvia . Hanc Amulius Numitore fratre pulso , interfectoque ejus filio Lauso , Vestalem per vim fecit , ut spem omnem partus eriperet . At ilia e deo Marte geminos obtinuit filios Remum , ac Romulum , qui Romam condiderunt* .

Qua sua) *Culta omnia orbis loca sub Romano Imperio futura prænuntiat* .

Amnis) *Oceanum scilicet , in quo Astra immergi putabantur* .

Troja) *Roma e Trojæ cineribus nata eo potentiæ deveniet , ut ipsa Troja se renasci admiratura sit* .

Longa via) *Longa peregrinatione* .

Vera cano &c.) Ego *scilicet Sibyllæ . Qui lauro vescebantur ; divinos fore credidit antiquitas* .

Jactavit) *Vates comam rotabant , & caput quatiebant* .

Quicquid) *Tertia Pars . Vult quoque Messalinum doceri ab Apolline , quicquid Amalthea , Mermessia , Herophile , atque Albuna prædixerunt* .

Sortes) *Libros Sibyllinos regi Tarquinio Albuna obtulit* ,

Portarit, ficco perlueritque finu.
Hæ fore dixerunt belli mala figna cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma fuerunt crepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuiffe fugam.
Ipfum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.
Et fimulacra deûm lacrimas fudiffe tepentes,
Fataquè vocales præmonuiffe boves.
Hæc fuerint olim: fed tu, jam mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge fub æquoribus.
Er fuccenfa facris crepitet bene laurea flammis;
Omine quo felix, & facer annus erit.
Laurus io bona figna dedit: gaudete coloni:
Diftendet fpicis horrea plena Ceres.
Oblitus & mufto feriet pede rufticus uvas,
Dolia dum, magni deficiantque lacus.
At madidus baccho fua fefta Palilia paftor
Concinet: a ftabulis tunc procul efte lupi.
Ille levis ftipulæ folennes potus acervos
Accendet, flammas tranfilietque facras.
Et fetus matrona dabit, natufque parenti
Ofcula comprenfis auribus eripiet. Nec

lit que, etfi Tiberim tranfnaret libros fecum gerens, non maduit.

Hæ fore) *Harum Vatum oracula infaufta fuerunt: & quæ, Cefare Dictatore per vim enecto, eventura erant, præfagiunt. Hæc fere apud Virg. Georg. I.*

Deplueret) *Futurum, ut deplueret.*

Audita) *Ut Sibyllæ fcilicet prædixerant.*

Lucos) *Nemora quoque Romani exercitus cladem prænuntiarunt.*

Hæc) *Quarta pars. Fauftiora nunc ab Apolline precatur.* Mitis *pro* placatus.

Crepitet) *Laurus flammis injecta bonum omen dabat, fi clare crepuiffet.* Scoppiettare.

Bacho) *Vino. Metonymia.*

Lacus) *Nunc* Tini.

Palilia) *Vide pag 126. Palilibus itaque combufta victima, aqua fe adfpergebant paftores, cœnam apparabant, fub noctem ignes e ftipula excitabant, eofque ter tranfiliebant.*

Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,
  Balbaque cum puero dicere verba senem:
Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
  Arboris antiquæ qua levis umbra cadit.
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
  Vincta: coronatus stabit & ante calix.
At sibi quisque dapes, & festas exstruet alte
  Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,
  Postmodo quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,
  Et se jurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereant arcus, pereantque sagittæ
  Phœbe: modo in terris erret inermis amor.
Ars bona: sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
  Heu heu quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi præcipue, jaceo quum saucius annum:
  Et faveo morbo, tam juvat ipse dolor.
Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
  Verba potest, justos aut reperire pedes.
At tu [nam divûm servat tutela poetas]
  Præmoneo vati parce, puella, sacro:
Ut Messalinum celebrem, quum, præmia belli,
  Ante suos currus oppida victa feret.
Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
  Miles, io, magna voce, triumphe, canet.
Tum Messala meus pia det spectacula turbæ.
  Et plaudat curru prætereunte pater.
Adnue: sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli:
  Sic tua perpetuo sit tibi casta Soror.

Operata deo) *Sacris peractis ad vescendum rustici discumbebant.*

Sertis) *Funiculis.* Serta, æ (fune, corda) *ex eo dicta, quod conserendo fiat.*

Puellæ) *Suæ conjugi.*

Oppida victa) *Triumphatores oppidorum quoque imagines præibant.*

Soror) *Diana, quæ semper a nuptiis abhorruit.*

VI.

QUERITUR 1. de Æmilio Macro, poeta nobili, ad militiam proficiscente. 2. Ad Macri exemplum militiæ nomen daturum se quoque asserit. 3. In Cupidinem invehitur.

AD MACRUM.

CASTRA Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
  Sit comes, & collo fortiter arma gerat.
Et, seu longa virum terræ via, seu vaga ducent
  Æquora, cum telis ad latus ille volet.
Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit:
  Atque iterum Erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces; erit hic quoque miles,
  Ipse levi galea qui sibi portet aquam.
Castra peto: valeatque Venus, valeatque Cupido.
  Et mihi sunt vires, & mihi facta tuba est.
Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas
  Ilicet, exstinctas aspiciamque faces.
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
  Cogis, & insanâ mente nefanda loqui.

Arma gerat) *Sit Macri armiger*. Scudiere.
Volet) *Advolet*.
Erronem) *Erro, onis, dicitur servus, qui sæpe aufugit, sæpe ad Herum regreditur*. Fuggiasco, vagabondo, disertore.
Quod si] *Secunda pars. Si, Cupido, militibus mitem te præbes; ipse quoque ero miles, utut gregarii muneris. Milites galeâ aquam haurire solebant*.
Acer) *Tertia pars*.

IN

IN gratiam cum Nemesi se rediturum sperat. Deinde per munera Sororis tumulo illata eam obtestatur, ut inimicitias ponat.

AD NEMESIM.

JAM mala finissem leto: sed credula vitam
  Spes fovet, & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
  Semina, quæ magno fenore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
  Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam validâ solatur compede vinctum.
  Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesin spondet mihi: sed negat illa.
  Hei mihi, ne vincas, dura puella, Deam.
Parce per immatura tuæ precor ossa Sororis.
  Sic bene sub tenerâ parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est: illius dona sepulcro,
  Et madefacta meis serta feram lacrimis.
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
  Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem.
  Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto.
Ne tibi neglecti mittant mala somnia manes,
  Mæstaque sopitæ stet Soror ante torum.

Qua-

Spes fovet) *Quantam potestatem in omnes obtineat Spes, partium enumeratione commonstrat.*
Parce) *Altera pars.*
Immatura) *Immaturè e vivis sublatæ.*
Sancta) *Manes Piorum vocabantur* Sancti. *De Inferiis consule Catullum pag.* 107.
Suum clientem) *Me ad ejus patrocinium confugientem.*
Illius &c.) *Veto verbis, seu* jussu *illius* sororculæ, *ut sis mihi lenta; seu veto, ut* me negligas.

Qualis ab excelſa præceps delapſa feneſtra
  Venit ad infernos ſanguinolenta lacus.
Deſino, ne dominæ luctus renoventur acerbi.
  Non ego ſum tanti, ploret ut illa ſemel.
Nec lacrimis oculos digna eſt fœdare loquaces:
  Serva nocet nobis, ipſa puella bona eſt
Jam tibi, ſæva, precor diras: ſatis anxia vivas.
  Moverit e votis pars quotacumque Deos.

Qualis) *Nemeſeos Soror e feneſtra forte lapſa corpuſculum obtriverat.*

Dominæ) *Nemeſeos*

Satis anxia) *Italice.* Quanto può farſi travagliata: Quanto potrai portarne, afflitta.

Moverit &c.) *Interpretarer :* Ogni piccola parte di queſti prieghi poſſa muovere, *vel* piegherà gli Dei.

Serva) *Quæ neſcio quid in Nemeſeos aures inſuſurrabat.*

ALBII TIBULLI

EQUITIS ROMANI

LIBER III.

KALENDIS Martiis strenas, seu dona, boni ominis gratia, elegantiores homines matronis præsertim mittebant : quæ proinde Festa Matronalia *dici consueverunt. Vates itaque Musas rogat, ut ad Neæram, puellam speratam, carminum suorum volumen ad unguem perpolitum muneris loco perferant.*

FESTA MATRONALIA

MARTIS Romani festæ venere Kalendæ.
Exoriens nostris hic fuit annus avis.
Et vaga nunc certâ discurrunt undique pompâ
Perque vias Urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen.
Carmine magnanimæ, pretio capiuntur avaræ.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pu-

Annus) *Martius (a Marte Romuli, Remique patre) anni initium antiquitus fuit. Numa deinceps Januarium, ac Februarium Marito præposuit. Vid. Ovid. III. Fast.*

Certâ pompâ) *Vulgo*: In solenne processione. *Dona illa per urbem circumferebantur.*

Lutea) *Crocea. Interior membranæ facies, quæ candida erat, scribebatur, ut litteræ atro loliginis succo exaratæ magis apparerent. In cylindri speciem membrana illa, croco, vel minio, purpurave exterius tincta, involuebatur: summo, infimoque cylindro, quæ* par-

Pumex & canas tondeat ante comas :
Summaque prætexat tenus fastigia chartæ ;
Indicet ut nomen littera facta meum .
Atque inter geminas pingantur cornua frontes .
Sic etenim comtum mittere oportet opus .
Per vos auctores hujus mihi carminis oro ,
Castaliamque umbram , Pieriosque lacus .
Ite domum , cultumque illi donate libellum ,
Sicut erit : nullus defluat inde color .
Illa mihi refert , si nostri mutua cura est ,
An minor , an toto pectore deciderim .
Sed primum nympham longâ donate salute ,
Atque hæc submisso dicite verba sono :
Hæc tibi , vir quondam , nunc frater , casta Neæra ,
Mittit , & accipias munera parva , rogat .
Teque suis jurat caram magis esse medullis ;
Sive sibi conjux , sive futura soror .

Sed

partes Frontes *dicebantur*, *frustulum quoddam ex membrana adglutinari mos erat , ut involuto libro operculum esset , atque ornamentum* .

Pumex *Abradat pilos e membrana exstantes* .

Summaque) *Membranæ frustum* prætexat, *seu* cooperiat *extremas* frontes, *ne titulum*, *qui exterius aureis ducatur litteris contegeret* .

Cornua) *Umbilici* . Fregi . *Ornamenta quædam ossea , eburnea , vel lignea e medio tegumento ad lunulæ modum exstantia , ac pingi solita* . *Vid.* pag. 22.

Vos auctores) *Musæ scilicet auctores* .

Castaliam umbram) *Ad Castalii fontis ripam lauri multæ , eæque ingentes* . Lacus Pierii *sunt Hippocrene , Aganippe , Permessus , Libethrus , seu Libethra , ac Pimpla* .

Sicut erit) *Tæniolis scilicet clausum* : Ben condizionato : *ne , si temere explicetur , atteratur color , ac diluatur* .

Referet) *Respondebit Neæra missis litteris , an sit par voluntas idemque amor* . Si *pro* an.

Nympham) *Nuptam* : *nam* νύμφη *græce valet* Nupta .

Vir quondam) *Subaudi futurus* .

Sed potius conjunx : hujus spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

Auferet) *Sperare non desinet suum conjugium, nisi eum Orcus abstulerit.*
Pallida) *Canosa , livida.* Ditis *h. e. Plutonis.*

II.

NEAERAE , pacta quidem , ac sperata , conjugio frustratus , graviter primo expostulat. Explicat deinde , quo ritu vita ereptus condi sepulcro velit : ubi omnes ducendi funeris , ac legendorum ossorum caeremonias describit.

DE SEIPSO

QUI primus pactam juveni , pactumque puellæ
Eripuit juvenem , ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit , qui tantum ferre dolorem ,
Vivere & erepta conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc , non hæc patientia nostro
Ignenio : frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est , vitæque fateri
Tot mala perpessæ tædia nata meæ.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram ,
Candidaque ossa super nigra favilla teget ;
Ante meum veniat longos incomta capillos ,
Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum :
Sed veniat caræ matris comitata dolore.
Mæreat hæc genero , mæreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes , animamque precatæ ,
Per-

Erepta) *Prærepta , occupata.*
Ingenio) *Indoli , natura.*
Vitæque) *Ordo est* : Nec pudor est fateri tædia nata vitæ meæ perpessæ tot mala. *Indicat , se sibi mortem consciscere velle ex eo , quod vivere jam ipsi molestum sit.*
Ergo) *Altera pars.*
Super .. teget) *Nigra favilla , seu* cinis *super teget.*
Præfatæ] *Interpetrarer* : Congedatesi co' miei mani

Perfusæque pias ante liquore manus.
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigrâ candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc quas mittit pinguis Panchaïa merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria;
Et nostri memores lacrimæ fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera caussam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:

Lygda-

ni, collo spirito, coll'ombra mia: e pregatole pace, requie, riposo.

Perfusæ] *Lotis aqua manibus. In re sacra manus lavabantur.*

Superabit) *Superarit.* Incinctæ *hic est* discinctæ. *In sacris omnia erant soluta.*

Legant) *Vid. pag. 96.*

Spargant) *De inferiis consule Catullum pag.* 107.

Lyæo) *Vino Meton.*

Carbaseis velis] *Vela carbasea sunt vela ex lino, seu lintea miræ tenuitatis.* Pannilini.

Domo marmorea] *Vel est urna sepulcralis e marmore, vel sepulcrum, in quo urna cum ossibus, ac cineribus condebatur.*

Panchaïa) *Arabiæ Felicis regio odoramentis celeberrima.*

Fundantur) *Vasculis vitreis, quæ* lacrimatoria *dicebantur, collectæ lacrimæ cum urna condi solitæ.*

Sic ego] *Italice*: Con tai riti, cerimonie, io ridotto all'ossa nude, al solo ossame, esser vo' collocato nel sepolcro. *Versus, seu* mutatus *in ossa.*

Demonstret] *Indicet. Cippo sepulcrali mortis caussa incidi solita.*

Celebri fronte) *Parte superiore tumuli* celebris, *seu* frequentati, *secus scilicet viam publicam extructi.*

Lygdamus hic situs est : dolor huic, & cura Neære,
Conjugis ereptæ, caussa perire fuit.

Lygdamus) *Lygdami nomine se signat.*
Dolor] *Dolor, & cura, quam concepit ex Neæra, conjuge sperata quidem, sed ab altero erepta, fuit huic caussa pereundi.*

III.

DOLET primo, se vota perdidisse, quæ Diis persolverat, ut Neæra sibi restitueretur. Negat deinde, sibi aliud quidpiam jucundum ab ea distracto contingere apud homines posse: seque mori cupere, ni spes sit, fore, ut in gratiam cum ipsa redeat.

AD NEÆRAM.

QUID prodest cælum votis implesse, Neæra?
Blandaque cum multa tura dedisse prece?
Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara, conspicuusque domo:
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,
Inque tuo caderet nostra senecta sinu;
Tunc, quum præmensæ defunctus tempore lucis,
Nudus Lethæa cogerer ire rate.
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare sive tuis, sive Caryste tuis?

Et

Blanda tura) *Quæ blandos, ac faciles reddunt Deos.*
Non ut) *Rogavi, non ut dives fierem : sed ut tecum viverem &c.*
Rate) *Charontis Cymba per Lethen vehar.*
Phrygiis &c.) *Marmor e Phrygia, e Tænaro, Laconiæ promontorio, e Carysto, Eubœæ insulæ oppido, magni habitum.*

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos ?
Aurataeque trabes , marmoreumque solum ?
Quidve , in Erythraeo legitur quae litore concha ,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat ?
Et quae praeterea populus miratur ? in illis
Invidia est: falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum , curaeque levantur ;
Nam Fortuna suâ tempora lege gerit .
Sit mihi paupertas tecum jucunda , Neaera .
At sine te , regum munera nulla volo .
O niveam , quae te poterit mihi reddere , lucem !
O mihi felicem terque , quaterque diem !
At , si pro dulci reditu quaecumque voventur ,
Audiat aversa non meus aure Deus ;
Nec me regna juvent , nec Lydius aurifer amnis ,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes .
Haec alii cupiant : liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge posse frui .
Adsis , & timidis faveas , Saturnia votis ,
Et faveas , conchâ Cypria vecta tuâ .

Aut ,

Nemora] *Hortos , pomaria , nemora in aedibus suis voluptatis caussa habebant Romani .*

Auratae trabes) *Lacunaria aurata . Synecd.* Soffitte messe ; *vel* lumeggiate ad oro .

Marmoreum solum) *Pavimentum erat tessellatum , seu sectile .* Suolo scaccato , lavorato a scacchi , a mosaico .

Murice] *Murex piscis genus , cujus succo purpura tingitur . Sidon vero Phoeniciae urbs .*

Falso) *Immerito , injuria .*

Reditu] *In gratiam scilicet . Alterae Elegiae pars .*

Non meus] *Iratus . Contra vero* Dii mei , *sunt* faciles , propitii .

Lydius) *Pactolus Lydiae amnis aureas arenas devolvit .*

Paupere cultu] *Qui pauperem decet .*

Saturnia) *Juno Lucina , Saturni filia , matrimonio praeerat .*

Cypria) *Venus e maris spuma mox nata , ad Cyprum appulisse fertur, concha marina vecta .*

Aut, si fata negant reditum, tristesque Sorores
Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt;
Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Aut si) *Elegiæ pars tertia.*
Sorores) *Clotho scilicet, Lachesis, Atropos,*
Nigra palus) *Styx.* Dives Orcus *est* Pluto. Luridus, *idest* pallidus.

IIII.

SOMNIUM quoddam portendens tristia expositurus, primo asserit, somniorum genera vana omnia esse, ac ludicra. Refert deinde, se per quietem Apollinem vidisse, ejusque prosopographiæ, ac verborum meminit. Tum Apollinis jussu Neæram monet Tibullus, ut resipiscat.

SOMNIUM.

DII meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit extrema pessima nocte quies.
Ite procul: vanum, falsumque avertite visum.
Desinite in vobis quærere velle fidem.
Divi vera monent: venturæ nuntia sortis
Vera monent Tuscis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent:
Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Far-

Insomnia) *Idem quod* somnia.
Extremâ) *Quartâ scilicet noctis vigiliâ.*
Visum) Visione, fantasma, larva, spettro,
Velle) *Subintellige* me.
Tuscis) *Tusci arte haruspicina celebres.*
Et vanum) *Interpretatur* E ci ha razza d'uomini ingannati, allucinati, i quali piacano divotamente col farro, e col saltellante sale gli Dei, perchè
non

Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, utcumque est, sive illi vera moneri,
Mendaci somno credere sive volent.
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum prætimuisse velit.
Si mea nec turpi meus est obnoxia facto,
Nec læsit magnos impia lingua Deos.
Jam nox, ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas:
Nec me sopierat menti Deus utilis ægræ
Somnus: sollicitas deficit ante domos.
Tandem, quum summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies:
Hic juvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa cervice fluebant:
Stillabat Syro myrrea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,

non mandin la notte sogni di augurio funesto. Vanus *sumitur quoque pro eo, qui aliqua re frustratur.* Omina noctis *sunt* somnia.

Saliente) *Sal in ignem injectus crepitat, resilitque.*

Lucina) *Seu Luna, seu Juno Lucifera.*

Immeritum) *Immerentem.*

Jam nox) *Poetice exprimit noctem, quæ nigris quadrigis vehi credebantur. Ubi* ætherium mundum *pro* Cælo: & amne *pro* Oceano.

Deficit] *Italis*, Vien meno.

Tandem) *Quum Phœbus apparuit in extremo Oriente, sopor tardus meis irrepsit oculis.*

Hic) *Pars altera, Elegans Phœbi prosopographia.*

Intonsi) *Phœbus comatus fingitur.*

Stillabat) *Italice:* La chioma intrisa di mirra gocciolava di quel Sirio liquore. *Ros syrius, seu myrrha, Syriis Palæstinis proveniebat.*

Latonia Luna) *Luna, seu Diana, Latonæ filia,*

Et

Et color in niveo corpore purpureus.
Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.
Ut cum contexunt amarantis alba puellæ
Lilia: ut Autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla.
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ fulgens testudine & auro
Pendebat leva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc dulci tristia verba modo:
Salve cura Deûm: casto nam rite poetæ
Phœbusque, & Bacchus, Pieridesque favent.
Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque Sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, ævique futuri
Eventura Pater posse videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates:
Quodque deus vero Cynthius ore ferat.

Tan-

Inficitur] *Tingitur teneris genis. Græce dictum. Colorem itaque Phœbi a similibus describit.* Amarantus, *floris genus.* Amaranto.

Palla) *Vestis ad talos demissa, majestatis, ac potentiæ index.*

Læva parte) *Lævo humero.*

Digiti) *Citharœdi canebant, ac simul citharam pulsabant.*

Salve) *Phœbi concio, qua 1. de Neæræ perfidia Vatem monet; eumque 2. docet, quibus artibus ipsam sibi tandem reconciliet*

Casto) *Poeta, qui omnia religionis officia carminum auctoribus persolvisset,* castus *habebatur; eique favebant Apollo, Bacchus, ac Musæ.*

Sed proles) *Non omnes Deos futura præscire putavit antiquitas. Bacchus Semeles filius.*

Pater) *Jupiter.*

Cynthius) *Apollo a Cyntho, Deli insulæ monte, in quo natus dicitur. Atque hinc* Delius *quoque vocatur.*

Tantum cara tibi quantum nec filia matri ;
  Quantum nec cupido nupta puella viro :
Pro qua sollicitas cælestia numina votis ,
  Quæ tibi securos non sinit ire dies :
Et , quum te fusco Somnus velavit amictu ,
  Vanum nocturnis fallit imaginibus :
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
  Alterius mavult esse puella viri .
Diversasque tuis agitat mens impia curas ,
  Nec gaudet caste nupta Neæra domo .
Ah crudele genus , nec fidum femina nomen !
  Ah pereat , didicit fallere siqua virum !
Sed flecti poterit : mens est mutabilis illis .
  Tu modo cum multa brachia tende prece .
Sævus Amor docuit validos tentare labores .
  Sævus Amor docuit verba sæva pati .
Me quondam Admeti niveos pavisse juvencos .
  Non est in vanum fabula ficta jocum .
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora ,
  Nec similes chordis reddere voce sonos .
Sed perlucenti cantus meditabor avena ,
  Ille ego Latonæ filius , atque Jovis .
Nescis quid sit Amor , juvenis , si ferre recusas
  Immitem dominam , conjugiumque ferum .
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas .
  Vincuntur molli pectora dura prece .
Quod si vera canunt sacris oracula templis ,
  Hæc illi nostro nomine dicta refer .
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse .
  Felix hoc , alium desine velle virum .
Dixit , & ignavus defluxit pectore somnus .
  Ah ego non possum tanta videre mala !

Nec

Fusco amictu) *Fuscis alis* .
Tuis) *Agitat curas diversas* curis *tuis* .
Nec fidum) *Infidum* .
Sed flect.) *Pars concionis altera* .
Illis) *Feminis scilicet* . *De* Admeto, *consule p.* 168.
Pellucenti) *Tenui* : trasparente , lucido .
Felix hoc) *Italice* : Felice sarai con questo marito ; lascia pur di volerne altri .

Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero.
Nec consanguineâ redimitus terga catervâ,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput.
Scyllaque virgineam canibus subcincta figuram:
Nec te conceptam sæva leæna tulit:
Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta, & duris non habitanda domus.
Et longe ante alias omnes mitissima mater:
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat.
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

Nec tibi) *Pars postrema. Nec crediderim* inesse *tibi vota contraria votis, ipsis scilicet tuis pristinis.*

Chimæra) *Monstrum natum ex Typhone, & Echidna, cui fuit leonis caput, capræ corpus, draconis cauda: Bellerophontis sagitta tandem confixum interiit.*

Redimitus) *Subaudi* Cerberus. *Vide, quæ protulimus pag.* 135.

Consanguinea caterva) *Sunt angues, Cerberi cervici, dorsoque hærentes, atque uno eodemque partu procreati.* Gruppo di serpi per sangue congiunti.

Scyllaque) *Interpretarer:* Nè te produsse Scilla, il cui corpo di donzella è ne' fianchi cinto da cani. *Phorci fuit filia, quæ, quod Glaucum amaret, invidiam Circes sibi conciliavit. Hæc, quum fontem medicamine a Circe infectum subiret, inferioris corporis partem in serpentes, inque tanum capita transmutari sibi sensit. Furore tuum percita, in mare se præcipitem dedit: eamque in scopulum fuisse conversam, fabulati sunt Veteres.*

Syrtis) *Apud Leptim africæ oppidum duæ sunt Syrtes, inhospitæ ambæ, ac naufragiis famosæ.*

V.

AMICIS Etruriæ Balnea celebrantibus, æger Tibullus Diis inferis vota facit: mortemque deprecatur, ostendens se mori immeritum, tum quod innocens sit, tum quod adhuc juvenis. Vota sibi denique amicorum implorat.

AD AMICOS.

VOS tenet, Etruscis manat quæ fontibus unda,
  Unda sub æstivum non adeunda Canem:
Nunc autem sacris Bajarum proxima lymphis,
  Quum se purpureo vere remittit hiems;
At mihi Persephone nigram denuntiat horam,
  Immerito juveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
  Audax laudandæ sacra docere Deæ.
Nec mea mortiferis infecit pocula succis,
  Dextera, nec cuiquam tætra venena dedit.
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes:
  Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
Nec nos insanâ meditantes jurgia mente
  Impia in adversos solvimus ora deos.

Et

Etruscis] *Etruriæ balnea, æstate noxia, quod sulfure abundarent; verno autem tempore maxime salubria. De* Cane *consule pag.* 126.

Nunc) *Nunc autem* est unda *proxima* virtute, *seu* virtute simillima *lymphis sacris Bajarum. Bajarum balnea magni habita: quæ* sacra *vocat, quod cuique fonti suum esset attributum Numen.* Proxima *valet hic* virtutis efficaciâ simillima.

Nigram horam) *Horam mortis.*

Non ego tentavi) *Mortem haud se promereri asserit: deorum contemtor non fuit, non veneficus, non sacrilegus, aliive obnoxius crimini.*

Laudandæ Deæ) *Proserpina, cui communia erant sacra cum Cerere matre, quamque occultis sacrificiis placabant. Exprimit hic itaque epitheton ἐπαινὴν, quod Græci Proserpinæ tribuebant.*

Et nondum cani nigros læſere capillos,
  Nec venit tardo curva ſenecta pede.
Natalem noſtri primum videre parentes
  (Quum cecidit fato Conſul uterque pari)
Quib fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?
  Et modo nata malâ vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
  Duraque ſortiti tertia regna Dei.
Elyſios olim liceat cognoſcere campos,
  Lethæamque ratem, Cimmerioſque lacus;
Quum mea rugoſâ pallebunt ora ſenectâ,
  Et referam pueris tempora priſca ſenex.
Atque utinam vano nequicquam terrear æſtu!
  Languent ter quinos ſed mea membra dies.
At vobis Tuſcæ celebrantur gramina Nymphæ,
  Et facilis lentâ pellitur unda manu.
Vivite felices memores, & vivite noſtri,
  Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe volent.

Cani) *Cani. orum.* Canuti. *A viridi ætate Diam flectere nititur.*

Natale primum) *Diem illum, quo natus ſum.*

Fraudare] *Ovidius lib. II. Amorum. Eleg. XIIII*

Quid plenam fraudas vitem creſcentibus uvis?
  Pomaque crudeli vellis acerba manu?

Tertia regna) *Jovi cælum, Neptum mare, inferna loca Plutoni obtigiſſe ferunt, quæ alii quoque Dii incolunt.*

Lethæam] *Vide pag.* 160. *Cimmerios valet* caligantes, obſcuros.

Atque utinam) *Utinam febris, qua laboro, fruſtra me æſtu terreat ſuo: ſeu* mortifera ne ſit.

Tuſcæ Nymphæ) *Cui aqua illa Tuſca dicata erat. Herboſis fluviorum, fontiumque ripis oblectabantur Nymphæ.*

Vivite) *Poſtrema pars.*

Seu nos) *Sive mortem obiverimus.* Fuit *apud Veteres idem, quod* obiit.

Interea nigras pecudes promittite Diti ;
  Et nivei lactis pocula mixta mero .

Nigras &c.) *Plutoni, ac Manibus victima atri velleris , & lactis , mellis , sanguinis , vinique effusione litabant .*

V I.

MAERORE confectus , quod Neæra pactam sibi fidem violaverit , curas ebrietate abigere statuit : sed amore impellente , sæpius ad querelas relabitur . Est autem elegia suavissima & miris animi perturbationibus plena . Hæc ex Vulpio .

A D BACCHUM.

CANDIDE Liber ades : sic sit tibi mystica vitis
  Semper : sic hederâ tempora vincta geras .
Aufer & ipse meum, pariter medicande , dolorem .
  Sæpe tuo cecidit munere victus Amor .
Care puer, madeant generoso pocula Baccho :
  I, nobis prona funde Falerna manu .
Ite procul durum curæ genus, ite labores .
  Fulserit hic niveis Delius alitibus .
Vos modo proposito dulces faveatis amici ,
  Neve neget quisquam me duce se comitem .
Aut, si quis vini certamen mite recusat ,
  Fallat eum tecto femina, virque dolo .
Ille facit dites animos Deus : ille ferocem

Con-

Hederâ) *Nysiades Nymphæ Bacchum cunis jacentem noverca Junoni , quæ eum perditura erat , injectis ex hedera frondibus occoluerunt : atque hinc hederacea ei corona fuit .*

Pariter medicande) *Qui olim , ut ego nunc , pariter medicandus fuisti vino .*

Labores) *Angores* . Affani , doglie, crepacuori .

Fulserit) *Fulgeat Delius candidis avibus , læta portendentibus .*

Ille) *Bacchus animos hilarat* .

Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armeniæ tigres, & fulvas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & majora valet. Sed poscite Bacchi
Munera: quem vestrum pocula sicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illis,
Qui se, quique una vina jocosa colunt.
Jam venit iratus nimium, nimiumque severis.
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas qualis, quantusque minetur;
Cadmææ matris præda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor: illaque, siqua est,
Quid valeat læsi, sentiat, ira Dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
Aeriæ & nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neæra:

Contudit) Ammaccò, fiaccò, domò.

Tigres) *Tigres, ac Leænas currui suo junxit Bacchus.*

Hæc) *Amor Bacchum quoque ipsum æquat rebus gestis, vincitque; tentemus tamen, quid largior vini potus efficiat.* Pocula sicca, *sunt* cyathi vacui.

Convenit] *Bacco nempe cum illis, qui colunt vina.* S'accordan troppo bene: nè Bacco fa il viso brusco a coloro, che lui prezzano, e gli allegri vini. *Torvus in illis, ductum eleganter. Sic Propert. lib. III.* Æquus in hoste.

Severis) *Abstemiis, qui vino scilicet parcunt.*

Cadmææ præda) *Cædes Penthei, nepotis Cadmi. Bacchi mysteria spernebat Pentheus, quem, quum Agave mater, Cadmi filia, per silvam discurrens, in veteri lentisci trunco latentem deprehendisset, belluam rata, caput abscidit: ejusque cadaver Ino, & Autonoe, sorores Agaves, membratim discerpserunt.*

Illaque) *Et illa, si qua est* severa, *idest vino abstinens, sentiat &c.* Se pur vi ha qualche severa, quella provi, sperimenti ec.

Quid precor) *Retractat maledicta. Quum enim, quæ imprecatus fuerat, in Neæram reciderent, quæ dixit, indicta vellet.*

Diripienda ferant) *Diripiant.* Voti tanto pazzi i venti, e le nubi se li portino perdere.

Sic felix, & sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ.
Venit post multos una serena dies.
Hei mihi: difficile est imitari gaudia falsa:
Difficile est tristi fingere mente jocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore;
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curæ.
Odit Lenæus tristia verba pater.
Gnosia, Theseæ quondam perjuria linguæ
Flevisti ignoto, sola relicta, mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: Felix, quicumque dolore
Alterius discens posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda sordida lingua prece.
Etsi perque suos fallax jurarit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem,
Nulla fides inerit: perjuria ridet amantum
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror? ite a me seria verba procul.
Quam vellem tecum parcis discumbere mensis!
Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida, nec merito nobis inimica merenti.
Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.

Na-

Post multos) *Post multos dies tristes.*

Hei mihi) *Ad querelas redit.*

Quid) *Iterum se corrigit.* Lenæus, *Bacchus, ita dictus ab ἀπὸ τῶν ληνῶν, a* torcularibus, *quibus uva exprimitur.*

Gnosia] *Ariandne, a Theseo in Naxo, Insula inhospita, derelictæ, se confert Vates: Nœram vero ipsi Theseo comparat.* Gnosiam *dicet Ariadnam, a Gnoso, vel Gnosso, Cretæ urbe. Vid. pag. 68. a v.18. Ex eo, quod Theseus fuerit Ariadnæ infidus, monuit Catullus puellas, ne adolescentibus credant: ego, quod Neæra infida sit mihi, vos juvenes moneo, &c.*

Minoi) *Ariadna, Minois Cretæ regis filia,*

Ergo] *Iterum dolet, se gravia adhuc pertractare.*

Seria) *Tristia.*

Najada Bacchus amat: o cessas lente minister?
  Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugiant nostræ convivia mensæ
  Ignotum cupiens vana puella torum;
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
  Tu puer, i, liquidum fortius adde merum:
Jam dudum Syrio madefactus tempora nardo
  Debueram sertis implicuisse comas.

Najada) *Vinum aqua diluendum. Metonym. Najades enim, fontium nimphæ, Bacchum aluerunt.*

Marcia) *Ancus Marcius unus e Regibus aquam in Urbem duxit. Hinc Marcia aqua vocari cœpta.*

Torum) *Lectum scilicet, ubi convivæ discumbebant. Sensus est*: S'ella ingannata, vanerella, sdegni la mia mensa, bramando gli altrui inviti, ec.

ALBII TIBULLI
EQUITIS ROMANI
ELEGORUM, ET CARMINUM
LIBER IIII.

I.

SULPICIAM nobilem matronem, kalendas Martias agentem, laudat, tum a forma præstantia, tum a divitiarum copia. Musas denique, Phœbumque rogat, ut ipsam celebrent.

AD MARTEM.

SULPICIA est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis.
  Spectatum e cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu, violente, caveto
  Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, quum vult exurere Divos,
  Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit,
  Componit furtim, subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
  Seu comsit, comtis est veneranda comis.
Fulget, seu Tyria voluit procedere palla:
  Fulget, seu niveâ candida veste venit.
Talis in æterno felix Vortumnus Olympo,
  Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Sola

Culta) *Comta, & ornata.*

Mars Magne) *Kalendæ Martiæ Marti sacræ. Censule dicta pag. 183.*

Vortumnus) *Varias Deus hic induebat formas.*

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros:
Possideatque, metit quicquid bene olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs segetis:
Et quascumque niger Rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
Et testudinea, Phœbe superbe, lyra.
Hoc solenne sacrum multos celebretur in annos:
Dignior est vestro nulla puella choro.

Sola puellarum) *Sola puella. Pars altera.*
Bis madefacta) *Bis tincta.*
Caris) *Pretiosis, seu magno parabilibus.*
Eois equis) *Equis Phœbi orientis.*
Hanc vos) *Pars tertia.*

II.

SULPICIAE nomine, quæ Cerintho nupserat, queritur, eum venationis studio longe abesse, ac mortis pericula subire. Addit deinde, dummodo cum ipso sit, se quoque in silvas ituram.

SULPICIA AD CERINTHUM.

PARCE meo juveni, seu quis bona pascua campi,
Seu colis umbrosi devia montis, aper.
Nec tibi sit duros acuisse in prælia dentes.
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia curâ.
O pereant silvæ, deficiantque canes!
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis?

Nec tibi sit) *Potestas scilicet, facultas.*
Delia) *Diana.*
Indagine) *Indago est retium series, qua saltus totus circumdatus. Rete, lungagnola.*

Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
  Ipsa ego per mentes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quæram vestigia cervi,
  Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi tunc placeant silvæ: sic carmina tecum
  Audiar ante ipsas concinuisse plagas.
Tunc veniat licet casses, illæsus abibit;
  Candida ne Phœbi gaudia turbet, aper,
Hæc mage sint, quam dulcis amor: sed lege Dianæ,
  Caste, puer casta retia tende manu.

Lege Dianæ) *Diana venatrix nuptiis semper infesta.*

III.

PHOEBUM medicæ artis principem rogat pro Sulpicia Cerinthi uxore. Deinde Cerinthum monet, ut bono animo sit. Tum ad Phœbum redit.

AD PHOEBUM

HUC ades, & teneræ morbos expelle puellæ:
  Huc ades, intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi, propera, nec te jam, Phœbe, pigebit
  Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies tabentes occupet artus,
  Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcumque mali est, & quicquid triste timemus,
  In pelagus rapidis devehat amnis aquis,
Sancte veni, tecumque feras quicumque sopores,
  Quicumque & cantus corpora fessa levant.
Neu juvenem torque, metuit qui fata puellæ,
  Votaque pro domina vix numeranda facit.

In-

Quicumque sopores) *Quæcumque medicamina somnum conciliantia.*

Quicumque & cantus) *Corporibus ægris medebantur, cantus, seu magici susurri, carmina composita consule dicta pag. 143.*

Interdum vovet : interdum, quod langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba Deos.
Pone metum, Cerinthe : Deus non lædit amantes.
Tu modo semper ama, salva puella tibi est.
Nil opus est fletu : lacrimis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est : te solum candida secum
Cogitat, & frustra credula turba sedet.
Phœbe fave, laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.
Jam celeber, jam lætus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis lotus uterque focis.
Tunc te felicem dicent pia turba Deorum,
Optabunt artes & sibi quisque tuas.

Puella) *Conjux* :
Amantes) *Fideles conjuges*.
Si quando) *Quum tibi erit irata*.
Candida) *Ex animo redamans*.
Debita reddet) *Persolvet vota debita*.
Lotus) *Sacra facturi aqua se expiabant*.

IIII.

SULPICIA natalitium Cerinthi diem celebrat : ad Genium, Veneremque rogat, ut in mutua conjugii benevolentia utrumque firment.

SULPICIA AD CERINTHUM.

QUI mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium : & dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias : juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor : per te dulcissima jura,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape tura libens, votisque faveto :

Qui mihi) *Qui dies dedit, te, Cerinthe, mihi*.
Te nascente) *Cecinerunt Parcæ te omnium animis dominaturum*.

Si modo, quum de me cogitat ille, calet:
Quod si forte alios jam nunc suspirat amores,
Tu, precor, infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis injusta, Venus, vel serviat æque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac nos solüisse dies.
Optat idem juvenis, quod nos: sed tectius optat.
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
Adnue: quid refert clamne, palamne roget?

Calet) Gli si desti l' antico affetto.

V.

DIE natali Sulpiciæ Junonem precatur pro mutua ejus, & Cerinthi conjugis benevolentia.

AD JUNONEM

NATALIS, Juno, sanctos cape turis honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie: tibi se lætissima comsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi caussas tibi, diva, relegat.
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, ne mors divellat amantes;
Sed juveni, quæso, mutua vincla para.
Sic bene compones: ulli non ille puellæ
Servire, aut cuiquam dignior illa viro.
Adnue, purpureaque veni pellucida palla,
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.
Præcipit en natæ mater studiosa quid, optet:

Il-

Relegat) *Tribuit, adjudicat, prætendit:*
Est tamen) *Non Junoni, sed Cerintho sponso ornatur.*
Amantes) *Conjuges.*
Fit) *Fit sacrum.*
Præcipit) *Genetrix dictat filiæ voti formulam: illa tamen aliud mente precatur. Rogabat mater pro viro patricio: illa tamen Cerinthum vilioris conditionis hominem in conjugem poscebat.*

Ille aliud tacita clam sibi mente rogat.
Sit juveni grata: adveniet quum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adsit amor.

Sit juveni) *Cupit amorem hunc processu temporis senem factum firmiore.*

VI.

DOLET *Sulpicia, quod, die Messalæ affinis sui natalitio, ruri sit.*

AD MESSALAM.

INVISUS natalis adest, qui rure molesto,
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellæ,
Atque Eretino frigidus annus agro?
Jam nimium, Messala, mei studiose quiescas,
Non tempestivæ sepe propinque viæ.
Hic animum, sensusque meos abducta relinquo:
Arbitrii quoniam non finis esse mei.

Eretino) *Eretum (nunc* Monte ritondo*) Sabinorum olim oppidum, in regione situm erat per æstivos quoque menses frigidissima.*

Quiescas) *Permitte, quæso esse me Romæ.*

Non tempestivæ sæpe &c.) *Qui discessum identidem cogitas.*

Hic) *Romæ scilicet, unde invita discedo.*

VII.

TIBULLUS ad Messalam, qui permiserat die natali suo Sulpiciam Romæ commorari.

AD MESSALAM.

SCIS iter ex animo sublatum triste puellæ :
  Natali Romæ jam licet esse tuo.
Omnibus illa dies nobis natalis agatur,
  Qui necopinanti jam tibi forte venit.

Ex animo) *Ex animo Sulpiciæ deletum est triste iter, seu tristis imago rusticationis. Egre enim ferebat Sulpicia, die Messalæ natalitio rusticari.*

Necopinanti) *Non opinanti, minus animadvertenti.* Nec *fere pro* non.

VIII.

SULPICIA ægrotans cum Cerintho viro suo queritur, quod suo minus doleat malo.

SULPICIA AD CERINTHUM.

ESTNE tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ,
  Dum mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
  Optarim, quam te si quoque velle putem.
Nam mihi quid prosit morbos evincere, ubi tu
  Nostra potes lento pectore ferre mala?

Calor) *Febris ardens.*

Ah ego) *Interpretarer*: Non in altra guisa vogl'io guarire del nojoso mio male, che se mi persuada, bramarlo ancor tu, ec.

Lento) Lentus *dicitur, qui aliorum incommodis parum commovetur.*

DO-

VIIII.

DOLET Sulpicia, abs se hesterna die dimissum Cerinthum, ut suum animum dissimularet.

SULPICIA AD CERINTHUM.

NE tibi sim, mea lux, æque jam fervida cura,
  Ac videor paucos ante fuisse dies;
Si quicquam totâ commisi Stulta juventâ,
  Cujus me fatear pœnituisse magis,
Hesternâ quam te solum quod luce reliqui,
  Ardorem cupiens dissimulare meum.

Nè tibi) *Interpretarer:* Che possa io non esser corrisposta da te, mio Sposo, con quell' affetto, che mi mostravi giorni addietro, pochi dì sono ec. *Optat itaque sibi Sulpicia, contrarium votis suis evenire, ni sese pœniteat, quod procul a se Cerinthum conjugem pridie dimisisset.*
Stulta] *Ego Stulta.*

X.

QUIDAM Perspectus nomine, ærarii Domini suì quondam custos, postea colonus, Priapum hortorum Deum rogat, ut agellum servet.

AD PRIAPUM.

VILLICUS ærarî quondam, nunc cultor agelli
  Hæc tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
  Assiduus custos ruris ut esse velis.
Improbus ut si quis nostrum violarit agellum,
  Hunc tu; sed taceo: scis, puto, quod sequitur.

LAU-

Si fas) *Si fas cum Diis pacisci.*
Hunc tu) *Hunc tu falce procul expellas. Falce armabatur Priapus.*

XI.

LAUDAT Messalam, patronum suum, virum eximium, a civili prudentia, ab eloquentia, a militari scientia, & rebus bello gestis: eumque toto terrarum orbe illustrem futurum vaticinatur. Hæc Vulpius.

MESSALIAE ΠΑΝΗΤΥΡΙΣ.

TE, Messala, canam. Quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmæ nequeant subsistere vires;
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua præter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint.
Est nobis voluisse satis. Nec munera parva
Respueris: etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit: & cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera cælo,
Erigoneque, Canisque, neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides deus adscensurus Olympum
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Parvaque cælestes pacavit mica; nec illis Sem-

Notæ he describuntur fere ex editione Mediolani 1754.

Conditor actis) *Utinam sim scriptor actorum tuorum. Virg. tristitia condere bella.*

Cres tulit) *Quis fuerit hic Cretensis, ignota prorsus est fabula.*

Hospes) *Icarus Bacchum hospitem excepit, & ab eo usum vini & colendi vites rationem accepit: quam artem quum pastores docuisset, illique obruti vino, opinantes venenum ab Icaro sibi propinatum, ipsum interemissent; Erigone ejus filia indicio canis quum necem patris agnovisset, suspendio sese enecuit: unde inter astra relati sunt Icarus, seu Bootes, Erigone, & Canis.*

Alcides deus) *Hercules adscensurus in cælum ab Molorcho pastore hospitio exceptus fuit, mox interfecturus Leonem in silva Nemæa.*

Mica] *Turis, vel salis granum sæpe pacavit Deos.*

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios, aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:
Qualis in immensum descenderit aera tellus;
Qualis & in curvum pontus confluxerit orbem:
Et vagus a terris qua surgere nititur aer,
Hinc ut contextis passim fluat ignibus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cælo.
AT quodcumque meæ poterunt audere Camenæ,
Seu tibi par poterunt (sed quod spes abnuit ultro)
Sive minus, certeque canent minus; omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam, quamquam antiquæ gentis superant tibi laudes;
Non tua majorum contenta est gloria fama:
Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat:
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores, majus decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Æterno sed erunt tibi magna volumina versu:
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit: sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
NAM quis te majora gerit castrisve, forove?
Nec tamen hinc, aut hinc tibi laus majorve, minorve:
Justa

Descenderit] *Cic. de Nat. Deor. lib.* 2. *Terra crassissima mundi regio medium mundi locum tenet.*
Confluxerit) *Mare terram complectitur undique.*
Qua surgere) *Quatuor elementa tetigit, quibus secundum Veterum opinionem mundus consistit: aer a terra volitans surgit in sublime: aeri connexus ignis undique miscetur: denique omnia cælo imminente continentur.*
Index) *Index denotabat virorum elogium, quos imagines, seu simulacra referebant: & in eorum basi index, sive titulus subscribebatur.*
Castrisve, forove] *Militiæ, vel domi.*
Majorve, minorve] *Æqua tibi laus in pace, & in bello.*

Justa pari premitur veluti quum pondere libra:
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis, inæquatum si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat, alterno depressior orbe.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi;
Non alius sedare queat: seu judicis ira
Sit placanda; tuis poterit mitescere verbis.
NON Pylos, aut Ithace, tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvæ magnum decus urbis Ulyssem:
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus excluditur undis.
Nam Ciconumque manus adversis repulit armis:
Nec valu t lotos cœptos avertere cursus.
Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos.

In-

Qualis] *Contra vero, si pondera sint inæqualia in orbe alterno, idest in lance.*

Pylos &c.) *Pilos, & Ithace, urbes Grecie, altera Nestoris patria, altera Ulissis: primus vixit annos 300 summa prudentia, parilique eloquentia. De Ulisse vide Homeri omnem Odisseam, cujus errores enumerat.*

Ciconum) *Sunt Thracie populi, ad quos post Trojam excisam primum adpulit Ulisses, eosque devicit,*

Lotos) *Lutes*, λωτὸς, *genus herbæ suavissimæ, ex rore procreata, teste Higino Fabul* 125. *Delatus* Ulisses *ad Lotophagos, homines minime malos in Africa, quum duo ejus socii loton herbam dulcissimam, & patriæ oblivionem indicentem gustass.nt, vix eos tandem reduxit. Vid. Odiss. 9.*

Neptunius) *Polyphemum intelligit, filium Neptuni, inebriatum vino Maroneo, a* Ciconibus *scilicet accepto. Maronea eadem, ac Ismarus, urbs Ciconum prima.*

Fœdatus lumina) *Polyphemo ebrio Ulisses oculum prægrandem extraxit. Odiss. 9.*

Æolios) *Ulisses ab Æolo ventorum Rege in utre accepit ventos, præter Zephirum, quo cum in patriam sine tempestate navigaret; At socii, Ulisse obdormiente,*

con-

Incultos adiit Læstrigonas, Antiphatenque,
Nobilis Artaciæ gelida quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes:
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces:
Queis numquam candente dies adparuit ortu,
Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutoni subdita regna
Magna Deûm proles levibus discurreret umbris.
Præteriitque citâ Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis,
Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Quum canibus rapidas inter freta serperet undas:
Nec violenta suo consumsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Uel si interrupto nundaret gorgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis, Non

congestas in utre gazas opinantes, solverunt utres, unde iterum tempestatibus actus est Ulysses. Odyss. 10.

Læstrigonas.) *Ad Læstrigonas, & eorum Regem Antiphaten, Formiarum conditorem, etiam adpulit Ulysses: hi autem humanis victitabant carnibus, & ex Ulyssis sociis unum dilaniarunt. Hos irrigat fluvius Artacia. Odyss. 10.*

Circes.) *Circes fabella omnibus nota. Vid. Virg. Eneid. 7. & Odyss. 10.*

Cimmeriorum.) *Cimmerii populi Asiæ, vicini sedibus Amazonum, ad quos adpulit Ulysses. Ab Homero Odyss. 11. ad Oceani fines ponuntur; Habitant climata cooperta caliginibus, utpote a sole remotissimi.*

Inferno) *Ulysses per Cimmerios descendit ad regna Plutonis.*

Sirenum) *Sirenum fabula notissima. Vid. Odiss. 12. Horat Epist. 2. lib. 1.*

Scylla] *Scilla, & Charibdis monstra, seu scopuli prope Siciliam, navigantibus periculi plena. V.d. Virg. Æn. 3.* & Hom. *Odiss. lib. 12.*

Pascua Solis) *Ulissis socii Solis boves mactarunt in Sicilia, qui in frustra dissecti, & tosti etiam mugiebant. Sol indignatus, conquestus est cum Jove, qui navem Ulissis fulmine incendit.*

Non Amor, & fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis & erroris miseri Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem;
Sit labor illius, tua dum facundia major.
JAM te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris præducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos:
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores:
Ut facilisque tuis aditus sit, & arduus hosti:
Laudis & adsiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Possit, & effusas tardo permittere habenas?
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro?
Quid, parmà seu dextra velis, seu læva tueri,
(Sive hac, sive illac nentat gravis impetus hastæ)
An prior, aut signata cita loca tengere funda?
Jam simul audacis veniunt certamina Martis,

Ad-

Calypsus) *Calypso, us, Atlantis filia, Regina Ortygiæ insulæ, quæ naufragum Ulyssem incensa navi excepit, eumque adamavit, ac per septem annos abire non permisit.*

Phæacia tellus) *Phæacia est insula Corcyra, vulgo* Corfù. *Dicitur finis errorum Ulyssis, quia inde recta navigavit in Ithacam patriam.*

Facundia major) *Quintilianus adserit, Messalam, etiam Cicerone florente, in dicendo præstu lisse nobilitatem, & in eloquentia non parum dignitatis cum Pollione obtinuisse.*

Cervos) *Cervi sunt in militia trunci ramosi, ad iter hostibus obstruendum.*

Liquores) *Ducis est providere, ne castra in loco sicco ponantur.*

Certamine) *Adsiduo ludo, & exercitio laudem quærat;*

Parmà) *Scuto brevi equestri. Si velis parmâ defendere, tum quæ ad dexteram sunt, tum quæ ad sinistram.*

An prior) *An alius sit prior, melior, doctior.*

Loca signata) Luoghi tolti di mira.

Adverſique parant acies concurrere ſignis ;
Tunc tibi non deſit, faciem componere pugnæ,
Seu ſit opus, quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo ;
Seu libeat duplici ſejunctim cernere Marte,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque ſiniſter
Miles, ſitque duplex geminis victoria caſtris.
AT non per dubias errant mea carmina laudes :
Nam bellis experta cano : teſtis mihi victæ
Fortis Japidiæ miles : teſtis quoque fallax
Pannonius, gelidas [illegible] diſjectus in Alpes.
Teſtis Arupinas & pauper natus in armis.
Quem ſi quis videat, vetus ut non fregerit ætas.
Terna minus Pyliæ miretur ſæcula famæ.
Centum fecundos Titan renovaverit annos ;
Ipſe tamen velox celerem ſuper edere corpus
Gaudet equum, validiſque ſedet moderator habenis.
Te duce non alias converſus terga domator
Libera Romanæ ſubjecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris : majora peractis
Inſtant, compertum eſt veracibus ut mihi ſignis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam

Geminis caſtis) *Duobus exercitibus, duabus aciebus.*

Bellis) *Bellis comprobata cano, non incertas ſcilicet virtutes.*

Japidiæ miles) *Japidia regio latronibus famoſa, ab Auguſto, duce Meſſala, debellata.*

Pannonius) *Pannonii infidi, & rebelles : eorum regio Superior, & Inferior, nunc vulgo eſt* Ungaria.

Arupinas) *Arupinum urbs Japidum, quam expugnavit Meſſala. Ubi natus eſt homo quidam infimo loco, qui omnia duriſſima perferebat, & in equum inſiliebat, licet eſſet annoſior Neſtore in Pylo nato, qui ad tria ſæcula vita traduxiſſe dicitur.*

Domator) *Populus equorum domitor liberam cervicem ſubmiſit.*

Melampus) *Melampus filius Amythonis, augur præſtantiſſimus, non poſſet iis ſignis repugnare.*

Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni;
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flumina venti,
Curva nec adsuetos egerunt flamina cursus.
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis.
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sunt multa silentia votis.
Jupiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit & cælo vicinum liquit Olympum,
Intentâque tuis precibus se præbuit aure,
Cunctaque veraci capite adnuit. Abditus aris
Lætior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis insistere rebus
Incipe: non iidem tibi sint, aliisque triumphi.
NoN te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris:
Nec fera te Tyrio tellus obsessa colono.
Nec qua vel Nilus, vel, regia lympha, Choaspes
Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gindes Ra-

Nam modo] *Poeta narrat signa, scilicet Jovem ab Olympo descendisse, & sincere adnuisse votis Messalæ, indutі vestem trama Tyria, seu purpura contextam: quæ vota a Romanis solennibus cæremoniis peragebantur in Capitolio Kal. Januariis: tunc venti cohibuere flatus &c.*

Multa) *Sensus est. Immo tuis optatis omnia dederunt magnum silentium.*

Non iidem) *Non iidem sint tibi triumphi, qui aliis ducibus.*

Gallia) *Messala gessit bellum in Gallia. Pag.* 164.

Tyrio) *Intelligit Africam, quam coloni Tyro profecti, ac Didonem sequuti, incoluerunt, & Carthaginem excitarunt: vid. Virg. Æneid. II.*

Choaspes) *Choaspes est fluvius Medorum, & Persarum: hujus aquæ sunt dulcissimæ, ita, ut Reges quocumque peregrinetur, secum ferant: unde dicitur Regia Lympha*

Gindes) *Gindes, fluvius Asiæ, ex Mantienis montibus in Tigrim delabitur. Dicitur Cyri dementia: nam Cyrus*

Radit Arectœos haud una per oſtia campos .
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe ;
Impia nec ſævis celebrans convivia menſis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus :
Quaque Hiſtrus, Tanaiſque Getas rigat, atque Moſynos.
Quid moror ? Oceanus ponto qua continet orbem ,
Nulla tibi adverſis regio ſeſe obſeret armis .
Tu manet invictus Romano Marte Britannus ,
Teque interjecto mundi pars altera ſole :
Nam circumſuſo confidit in aere tellus ,
Et quinque in partes toto diſponitur orbe .
Atque duæ gelido vaſtantur frigore ſemper .
Illic & denſa tellus abſconditur umbra ,

Et

rus Babylonem obſeſſurus , Gindem amnem effuſum exhauriendo , & in 160 rivulos diſpergendo tempus contrivit , eo quod unus ex equis regium currum trahentibus ab eo flumine abreptus eſt . Qua propter juravit , ſe feminis ipſis illud calcandum præbiturum . Vide Senecam de ira .

Redit Arectœos] *Gindes tam male a Cyro habitus , ac comminutus , trecentis ſexaginta oſtiis jam evolvebatur . Flumina dicuntur* radere , ſtringere , lambere &c. *ripas . Arctœi Campi juxta Babylonem , & oppidum Arce ſiti ſunt .*

Tomyris] *Tomyris Regina Scytharum concluſit imperium ſuum Araxe fluvio . Ipſa Cyrum vicit , cujus caput in utrem humani ſanguinis plenum conjecit , dixitque :* ſatia te ſanguine humano , quem tantopere ſitiſti : *Reginæ enim filium Cyrus enecuerat .*

Padæus) *Padæi , Indiæ populi anthropophagi , ægrotantibus , antequam moriantur , veſcuntur .*

Hiſtrus) *Getæ ad ripas Danubii inferioris habitabant . Conſule Ovidium de Triſt. Hiſter , & Hiſtrus , cum adſpiratione , antiquorum more .*

Tanais) *Tanais Aſiam ab Europa dividit . Getæ hodie ſunt Valachi , & Moldavi. Apud Getas exſulavid Ovidius in urbe Thomis , fortaſſe nunc* Themis War .

Moſynos) *Hos populos Plinius lib. 6. Hiſt. N. cap* 4 *in Ponticis gentibus enumerat .*

Britannus) *Britanni Auguſti ætate nondum domiti .*

Quinque) *Elegantiſſime deſcribit poeta quinque Orbis zonas .*

Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque, nivemque.
Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus,
At media est Phœbi semper subjecta calori,
Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro:
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arva Deus, Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque, & huic adversa solo pars altera nostro;
Quas utrimque tenens similis vicinia cæli
Temperat, alter & alterius vires necat aer.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hinc & colla jugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos.
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditer ære:
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
ERGO ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis;
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus
Valgius, æterno propior non alter Homero.
Languida nam noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget:
Nam mihi, quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes:
Cuique decus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupoque;
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,

Quum

Incepto) *Pluvii simulac manare, & fluere incipiunt, concrescunt in gelu, ut versus sequens declarat: nam Sol numquam ibi exoritur.*

Maturos) *Fruges quotannis demetuntur fetibus maturis.*

Valgius) *Cum Tibullo nostro Valgium celebrat Horat. lib. 1. sat. 10., & lib. 2. od. 9. Lege Elegiam Ovidii in Tibulli obitu.*

Fortuna) *Fortuna viris invida sævibus.*

Quum memor anteactos semper dolor admovet anno
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis:
Non te deficient nostræ memorare Camenæ.
Nec tibi Pierii solum tribuentur honores.
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Vel parvum Ætnææ corpus committere flammæ.
Sum quodcunque, tuum est: nostri sit parvula cura:
Sit tibi, quā ita libet, si sit modo; non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteis nec mallem vincere chartas.
Quod tibi si versus noster totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore;
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quinetiam, mea quum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem:
Longa manet seu vita, tamen mutata figura
Seu me finget equum g.yro percurrere campos
Doctum: seu tardi pecoris inter gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucri vehar aera penna;
Quandocumque hominem me longa refecerit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

K DO-

Pierii honores) *Honores carminum. Pierides sunt Musæ, ita dictæ a Piero monte Thessaliæ.*

Sum &c.] *Quicquid sum, tuum est. Si mei quantulacumque cura tibi sit, dummodo tibi sit; non curo regna Lydiæ, quæ olim fuerunt ditissima, ut omnes auctores de Crœso scribunt.*

Gylippi) *Gylippus fuit vir Lacedæmonius, qui auxiliatutus Syracusanis contra Athenienses centum & triginta naves Atheniensium cepit, incenditque. Vide Justin. lib. 4. Hist.*

Meleteas chartas) *Chartas Homericas. Meles est fluvius Smyrnæ, quæ inter urbes est, quæ de Homeri patria contendunt.*

Versus) *Hoc meum poema vel totum, vel pars illius tuis labris vagetur.*

Figura) *Pythagoræ metampsychosin, seu de animarum de corpore in corpus transitu opinionem attingit.*

DOMITIUS MARSUS

IN TIBULLI OBITU.

Te quoque Virgilio comitem, non æqua, Tibulle,
 Mors juvenem campos misit ad Elisios:
Né foret, aut elegis molles qui fleret amores,
 Aut caneret forti regia bella pede.

P. OVIDIUS NASO

In immatura ejusdem morte.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
 Et tangunt magnas tristia fata Deas;
Flebilis indignos Elegeïa solve capillos.
 Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
 Ardet in exstructo corpus inane rogo.
Ecce, Puer Veneris fert eversamque pharetram,
 Et fractos arcus, & sine luce facem.
Adspice, demissis ut eat miserabilis alis!
 Pectoraque infesta tundat aperta manu!
Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli:
 Oraque singultu concutiente sonant.

Fra-

Memnona) *Memnon, Auroræ ex Tithone filius, Trojano bello Achillis manu periit.*
Achillem) *Thetidos filium ex Peleo.*
Ex vero) *Ad ἔτυμον respicit: nam græcis sonat* cantus lugubris.
Puer) *Amor.*

Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
  Egressum tectis, pulcher Iule, tuis.
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
  Quam Juveni rupit quum ferus inguen aper.
At sacri vates, & divûm cura vocamur:
  Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
  Omnibus obscuras injicit illa manus!
Quid pater Ismario, quid mater profuit, Orpheo?
  Carmine quid victas obstupuisse feras?
Ælinon in silvis idem Pater, Ælinon, altis
  Dicitur invita concinuisse lyra.
Adjice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni,
  Vatum Pieriis ora rigantur aquis.
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.
  Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum Trojani fama laboris,
  Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt;
  Altera cura recens; altera primus amor.
Quid vos sacra juvant? quid nunc Ægyptia prosunt
  Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Quum rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso)
  Sollicitor nullos esse putare deos.
Vive pius, moriere pius: cole sacra, colentem
  Mors gravis a templis in cava busta trahet.

Fratris) *Amor, & Æneas e Venere geniti.*

Jule) *Julus Æneæ filius.*

Juveni) *Adon, qui Veneri carissimus, in inguinibus apri dente sauciatus fuit.*

Quid &c.) *Orpheum Ismarum, seu Thracem [ab Ismaro Thraciæ monte] ex Appolline habuit Calliope.*

Ælinon) *Carminis nomen, quo Linum filium Orpheus deflebat.*

Mæoniden) *Homerum, Mæonis filium.*

Tardaque) *Promiserat Penelope, se tela absoluta virum delecturam. At, quum Ulyssi conjugi fida esset, tantum noctu detexebat, quantum texuisset interdiu. Hisce de rebus Homerus egit in Odyssea.*

Sic] *Per carmina scilicet.*

Carminibus confide bonis; jacet ecce Tibullus.
  Vix manet e tanto parva quod urna capit.
Tene, facer vates, flammæ rapuere rogales?
  Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
  Urere, quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus Erycis quæ possidet arces.
  Sunt quoque, qui lacrimas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
  Ignotum vili supposuisset humo.
Hic certe madidos fugientis pressit ocellos
  Mater, & in cineres ultima dona tulit.
Hic soror in partem misera cum matre doloris
  Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque, priorque
  Oscula: nec solos destituere rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata
  Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis: Quid? ait, tibi sint mea damna dolori?
  Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen & umbra,
  Restat; in Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias hedera juvenilia cinctus
  Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque (si falsum temerati crimen amici)
  Sanguinis, atque animæ prodige Galle tuæ.
His comes umbra tua est; si quid modo corporis umbra est
  Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna!
  Et sit humus cineri non onerosa tuo.

SE-

Rogales) *Ex rogo erumpentes.*
Aurea templa) *Capitolium.*
Erycis arces] *Venus in Eryce, Siciliæ monte, colebatur.*
Hoc melius) *Quod scilicet Romæ perierit, quam Corcyræ.*
Hic) *Romæ.*
Calvo) *Calvus poeta venustissimus.*
Gallus) *Eximius Vates, qui in Augustum, cui carissimus erat, conjuravit.*
Numeros pios) *Piorum numerum in Elysiis campis*

SEXTII AURELII PROPERTII, UMBRII VITA.

EX CL. V. PETRO CRINITO.

SEXTIUS Aurelius Propertius ex Mevania oppido oriundus, quod in Umbria est: ut ipse auctor copiose testatur, quo loco Umbriam Romani Callimachi patriam vocat:

UT nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Sunt, qui scribant, ejus patrem equestri dignitate ornatum, ac Triumvirali potestate fuisse: tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium secuti, Perusia capta, ex Octavii Cæsaris auctoritate ad aram divi Julii perducti, ibidem occisi fuerunt. Illud omnino constat, Aurelium hunc Propertium, magna ex parte amissis bonis, Romam se recepisse; quum patrem suum in tenera adhuc ætate amisisset: quod illis versibus apparet.

ADSPICE, me cui parva domus, fortuna, relicta est.
Nullus & antiquo Marte triumphus avi.

Et alibi clarius:

OSSAQUE legisti, non illa ætate legenda
Patris: & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua quum multis versarent rura juvenci;
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo
Matris, & antè deos libera sumta toga;
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

 In

In urbe autem nominis celebritatem brevi adeptus est, quum summa ingenii comitate, tum elegantia carminum. Mecœnati, & Cornelio Gallo maxime acceptus fuit: quod uterque Poetæ studiis, & doctrinæ pro similitudine professionis faverent. Ovidium quoque, Tibullum, & Bassum inter principes amicos coluit, ad quos de suis caloribus, & puellæ ingenio sæpius scripsit. C. Plinius in Epistola ad Romanum Paullum, refert Passienum in scribendis elegis eruditum habuisse inter suos majores Propertium: *eaque ratione Gentile*, iniquit, *est hoc in Passieno, qui ex eodem quoque municipio est, quo Propertius*. Unde maximum studium Passieno fuit, calores Propertii, atque ingenium suo carmine exprimere. Quum in elegiis (ut iniquit Plinius) foret egregius, atque præcipuus Propertius, libros quatuor Elegiarum composuit: in quibus fere suos calores, & Hostiæ laudem, ac formam celebrat. Nam in puellam Hostiam miro quidem affectu exarsit, quam mutato nomine (ut est auctor L. Apulejus) Cynthiam adpellare maluit. Hinc Sidonius Apollinaris ad Hesperum scribit: *Meminisse debes, quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo. Cesenna cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, & Delia cum Tibullo*. Callimachum præcipue, Cyrenæum Mimnermum, & Philetam Græcos poetas in carmine secutus est, quorum Manibus comitem se profitetur. Nam ut illi apud Græcos in Elegia consensu omnium longe præstiterunt; ita Propertius apud Latinos, eorum imitatione primas videtur quorumdam judicio consecutus. Fabius Quintilianus censor in literis acerrimus, quum Tibullum maxime commendaverit: *Non deesse tamen*, iniquit, *qui Propertium malint: quum sit Ovidius lascivior, Gallus in elegia durior*. Ovidius certe, quum sæpe de ipso Propertio agat, blandum, tenerum, ac dulcem adpellat, multumque illius carmini semper concessit, & recensenti sua carmina auditor adfuit:

SAEPE suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

Sed

Sed & Valerius Martialis Propertii ingenio, & amoribus plurimum tribuit, ut eo maxime proabvit loco, quo Galli Lycorim, Tibulli Nemesim, & Lesbiam Catulli celebrat. Sic enim ait in Apophoretis:

CYNTHIA facundi carmen juvenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

De obitu ejus parum compertum est. Quidam scripserunt, periisse illum, alterum & XXXX. natum. Fuisse alterum Propertium Fulgentius ostendit, qui in Lib. ad Calcidium de prisco sermone verba hæc ex Propertio refert: *Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.*

SEXTII AURELII PROPERTII UMBRII ELEGORUM LIBER I.

I.

NOVAM ſponſam ſuam admonet poëta, ne peregrino ornatu, & emtitio ſeſe excolat; quum ſola pudicitia, morumque probitas ſint vera Sponſæ ornamenta.

AD CYNTHIAM.

QUID juvat ornato procedere, Vita, capillo?
  Et tenues Coa veſte movere ſinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
  Teque peregrinis vendere muneribus.
Naturæque decus mercato perdere cultu?
  Nec ſinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ eſt.

Nu-

Vita) *Sponſa.*

Coa) *Cos inſula maris Ægæi, ubi bombicinæ veſtes primum inventæ: in hac Inſula nati ſunt Hippocrates medicus, & Apelles pictor.*

Orontea) *Orontes eſt fluvius Syriæ, a Libano monte in Mediterraneum delabens: quare Orontea mirrha, i. e Sirio malobathro, ut ait Horat.*

Peregrinis) *Munera peregrina Horatius vocat munera navium, quia navibus adducuntur, ut ſunt veſtes Coæ &c.*

Nudus Amor formæ non amat artificem.
Adſpice, quos ſubmittit humus formoſa colores,
Et veniant hederæ ſponte ſua melius.
Surgat & in ſolis formoſius arbutus antris.
Et ſciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis perſudent picti lapillis:
Et volucres nulla dulcis arte canant.
Nam ſic Leucippis ſuccendit Caſtora Phœbe,
Pollucem cultu non Ihelaïa ſoror.
Non Idæ, & cupido quondam diſcordia phœbo
Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falſo traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis.
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis eſt color in tabulis.
Non illis ſtudium vulgo conquirere amantes:
Illis ampla ſatis forma, pudicitia.

K 5 Non

Indociles) *Per deſertas vias*.

Leucippis) *Phoebe Leucippis, i.e. Phœbe filia Leucippi. Leucippus Sicyoniorum Rex duas habuit filias, Phœben ſcilicet, & Thelariam, quas ob nativam pulcritudinem ſibi deſponderunt Caſtor, & Pollux*.

Non idæ, & Phoebo, &c.] *Marpeſſam, filiam Eveni, atque uxorem Idæ, rapuit Phœbus, quem Idas arcu invaſit ad recuperandam uxorem. Sed Jupiter Mercurium miſit, ut Marpeſſa maritum deligeret, quæ Idam Phoebo prætulit*.

Externis) *Phœbus Oraculum cecinit, tum moriturum Oenomaum patrem Hippodamiæ, quum filia nupſiſſet. Quum autem bene multi eam expeterent; Pater certamen curule propoſuit, hac lege, ut victi necarentur, victor uxorem duceret. Quamplurimi victi ſunt, & interemti. Tandem Pelops venit ad certamen, corrupto Myrtilo auriga Oenomai, ut fragiles axes currui ſubjungeret: unde Pelops victor exſtitit, & Hippodamiam duxit: ab eoque regnum Elidis, & Piſarum Peloponneſum nuncupatum eſt. Dicitur autem externis rotis, ſcilicet curru peregrino: nam Hippodamia erat Græca, Pelops barbarus, ſeu Phryx*.

Apelleis) *Apelles commendatur picturæ ſimplicitate*.

Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
Uni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram.
Unica nec desit jucundis gratia verbis:
Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat,
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

Culta) *Puella honesto cum ornatu.*
Aoniamque) *Aonia dicta est Bœotia, quæ tota consecrata est Musis. Calliope est illa ex Musis, quæ heroico carmini præest.*
Tædia &c.] *Odium infelicis luxus.*

I I.

CYNTHIAE perfidiam exprobat, quæ, quamvis Propertius in magnum vitæ periculum fuisset adductus; attamen ornatus non deposuit, nec de eo minimum laboravit. Quodnam vero periculum subierit Poeta; nefas est divinare.

AD CYNTHIAM.

SAEPE ego multa tuæ levitatis dura timebam;
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice, me quanto rapiat Fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes externos manibus componere crines,
Et longa faciem quærere desidia.
Nec minus Eois pectus variare lapillis.
Ut formosa novo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat æquoribus.
Multos illa dies incomtis mæsta capillis Se-

Faciem) *Terentius in Heautont. Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.*
Calypso) *Calypso, us, Atlantis filia, quæ in insula Ogygia regnavit, ubi Ithacum, seu Ulyssem, Ithacæ Regem, diu retinuit, & inde Diis jubentibus invita dimisit.*

Sederat, injusto multa locuta salo.
Et quamvis, numquam posthac visura, dolebat;
Illa tamen longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Nec sic Æsoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel æmonio tabuit hospitio.
Conjugis Evadne miseros elata per ignes,
Occidit Argivæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historiâ.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, & oblitos parce movere Deos.

Illa &c.] *Conscia erat preteriti amoris*.

Alphesibœa) *Alphesibœam Alcmæon duxit uxorem, donato monili: mox Alcmæon ipsam relinquens, duxit Callirhoen. Quum autem hic ad Alphesibœam rediisset recepturus monile, ab Alphesibœæ fratribus occisus est: quod facinus ægerrime ferens Alphesibœa, fratres suos obtruncavit, ut inquit Propertius*.

Æsoniden) *Jasonem, a patre Æsone*.

Hypsipyle) *Hypsipyle, una e feminis Lemniis, patrem servavit; quum reliquæ omnes viros, & parentes occidissent: quumque esset Regina insulæ Lemni; Jasonem ad vellus aureum adsportandum properantem hospitio excepit: ex quo duos filios habuit. Vid. Ovid. Ep. Hypsipyles ad Jasonem*.

Tabuit hospitio) *Ingemuit, postquam Jason Æmonius, i. e Thessalus, ab suo hospitio discessit*.

Evadne) *Evadne, uxor Capanei, in bello Thebano Ducis egregii: quæ tanto amore conjugem Capaneum prosequebatur, ut, quum ipse bello occubuisset, in ejus rogum ardentem seipsa conjecerit, reliqueritque famam immortalem grecæ pudicitiæ*.

Quarum) *Harum Heroidum exempla ingenium tuum mutare non valuerunt, &c.*

Oblitos parce) *Abstine ad iram irritare Deos, oblitos sui perjurii*.

Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit,
Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus & inversas duxerit ante vices;
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos adtollere Solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te congebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes:
O nullis tutum credere blanditiis!

III.

GALLUM amicum suum Poeta monet exemplo Herculis, cui Nymphæ rapuerunt Hylam (cujus raptum graphice pingit) ut filium suum diligentissime defendat a Nympharum Ausoniarum rapina, nec incomitatum vagari sinat, ne idem, quod Hercules, patiatur.

AD GALLUM.

HOC pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti,
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thio-

Fortuna) *Fortuna adversa.*

Minyis) *Minyæ dicti sunt Argonautæ, qui in Cholcos ad vellus aureum navigaruut. Erant plerique orti ex Minya Rege, Orchomeni filio. Crudelis, i. e. infestus Minyis, testis sit Ascanius, qui est lacus juxta Olympum: & ex eo fuerunt Nymphæ, quæ Hylam rapuerunt. Quare Hercules iratus deseruit navigationem, & Argonautas.*

Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.
Hunc tu sive leges umbrosæ flumina silvæ,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes:
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio;
Nympharum cupidæ semper defende rapina
Non minor Ausoniis est amor in Dryasin.
Ne tibi sit duros montes, & frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus.
Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasæ navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam:
Et jam præteritis labentem Athamantidos undis,
My-

Thiodamanteo) *Hylas fuit filius Thiomantis*, *quem rapuit Hercules, secumque in Cholcos ducebat. Fregit autem Hercules remum, & e navi egressus est cum Hyla, ut in Mysiæ silvis alium sibi compareret. Quum autem ob æstum siti laboraret; misit Hylam cum urna ad Ascanium fluvium, ut aquam adferret. Sed Hylas in flumen prolabens demersus est: quod poetis caussam fabulæ præbuit, Hilam raptum esse a Nimphis*.

Aniena) *Anio, fluvius in agro Tiburtino*.

Gigantea) *Maritima regio prope Cumas, ubi Phlegræus campus, atque ubi Gigantes habitasse dicuntur*.

Ausoniis) *Nimphæ Ausoniæ, seu Italiæ, non secus ac Bithyniæ, o Galle, amant puerum. Græce Driasin pro Dryadibus*.

Nec sit) *N: mens sit tibi adire montes*.

Error) *Error perpessus Herculis, i. e. quæ Hercules errans pertulit, conquestus apud crudelem amnem Ascanium*.

Pagasæ) *Pagasa oppidum Thessaliæ, ubi Argo navis vehens Argonautas exstructa est*.

Phasidos) *Phasis est fluvius Cholcorum. Describitur iter navis*.

Athamantidos) *Athamantis est Helle, filia Athamantis, Thebarum Regis, quæ demersa undis dedit nomen Hellespento*.

Myſorum ſcopulis adplicuiſſe ratem.
Hic manus heroum placidis ut conſtitit oris,
Mollia compoſita litora fronte tegit.
At comes invicti Juvenis proceſſerat ultra,
Raram ſepoſiti quærere fontis aquam.
Hunc duo ſectati fratres, Aquilonia proles:
Hunc ſuper & Zethes, hunc ſuper & Calais.
Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere palmis,
Oſcula & alternâ ferre ſupina fugâ.
Ille ſub extrema pendens ſecluditur ala,
Et volucres ramo ſubmovet inſidias.
Jam Pandioniæ ceſſet genus Orithyiæ.
Ah! dolor ibat Hylas, ibat Hamadryaſin.
Hic erat Arganti Pegæ ſub vertice montis,
Grata domus Nymphis humida Thyniaſin:
Quam ſupra nullæ pendebant debita curæ

Ro-

Myſorum) *Myſia, regio in Aſia, Bithynia, ac Phrygiæ contermina.*

Manus] *Cœtus Argonautarum.*

Comes) *Hylas, comes Herculis.*

Zethes &c.) *Zethes, & Calais filii Aquilonis ſecuti ſunt Hylam, profecti cum Argonautis ad vellus aureum.*

Oſcula) *Hi duo venti deſuper volitabant: quare erant ore prono, & manibus ſuſpenſis: & Hylas reſpiciens Cœlum, ſupino erat vultu: unde* oſcula ſupina *dicuntur:*

Ille] *Ille ſubter extrema penna ſuſpenſus ſecernitur, ramoque inſidias alatas arcet.*

Pandioniæ) *Nunc Venti, filii Orithyiæ, uxoris Aquilonis (quæ dicitur Pandionia ab avo ſuo Pandione, patre Erecthei, Athenarum Regis, cujus filia fuit) ceſſent inſectari Hylam.*

Ah dolor) *Hylas futurus cauſſa doloris Dryadibus, quæ eadem ſunt, ac Hamadryades.*

Hic) *Hylas erat in radicibus montis Arganthi, qui eſt in Bithynia, ad cujus montis radices erat fons Pege, ubi raptus fuit Hylas.*

Thyniaſin) *Ideſt Bithynicis. Bithynia dicta fuit Thinia a Thino, Arganones nimphæ, filio.*

Nullæ curæ] *Non culta ab hominibus.*

Roscida desertis poma sub arboribus :
Et circum irriguo surgebant lilia prato
  Candida, purpureis mista papaveribus.
Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungui,
  Proposito florem prætulit officio.
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis.
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ
  Miratæ solitos destituere choros.
Prolapsum leviter facili traxere liquore,
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa ; sed illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitis servabis amores,
  Formosum Nymphis credere visus Hylam.

Prætulit) *Præposuit flores muneri hauriendæ aquæ.*
Errorem) *Longiorem facit inspiciens in limpidis aquis sibi adridentes imagines.*
Sonitum] *Fecit sonitum, idest clamavit Hylas.*
Nomen) *Virg. Ecl. 6. Litus, Hyla, Hyla omne sonaret. Aura, i, e. Echo.*

IIII.

GALLUS in bello Perusino interfectus admonet socios ex acie fugientes, ut sorori suæ mortem ipsius adnuntient ; ossaque sua fuisse per Etruriam disjecta.

AD SOCIOS.

TU, qui consortem properas evadere casum,
  Miles ab Etruscis saucius aggeribus :

Quid

Etruscis aggeribus) *Per Etruscos aggeres Poeta denotat bellum Perusinum, quum Augustus Antonium Perusi-obse-*

Quid nostro gemitu turgentia lumina torques ?
  Pars ego sum vestræ proxima militiæ .
Sic te servato possint gaudere parentes :
  Hæc soror acta tuis sentiat e lacrimis :
Gallum, per medios ereptum Cæsaris enses,
  Effugere ignotas non potuisse manus .
Et quicumque super dispersa invenerit ossa
  Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea .

obsdiet , & fame ad deditionem coegit , Perusia numeratur inter principes Tusciæ civitates , quæ tota hujus belli incendio conflagravit .

Nostro gemitu) *Nostro desiderio .*

Pars proxima] *Ego nuper fui pars vestræ militiæ*]

Soror) *Mea scilicet .*

Gallum) *Fortassis hic est Cornelius Gallus Propertii propinquus , quem & Virgilius dilexit , & cui inscripsit Eclogam .*

V.

TULLUM , cui primum hunc librum dedicavit , docet , quis , & qualis ipse sit , quo genere , & familia , & qua ex patria natus .

AD TULLUM .

QUALIS, & unde genus, qui sint mihi, Tulle, parentes ,
  Quæris pro nostra semper amicitia .
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra ,
  Italiæ duris funera temporibus ,
Quum Romana suos egit discordia cives ;
  (Sit mihi præcipue pulvis Etrusca dolor .

Tu

Perusina) *De bello Perusino vid. Sueton. in Augusti Vita cap. 14. & 15. Perusia ab Augusto excisa , & incensa est .*

Cives) *Bellum triumvirale intelligit inter Augustum , Lentulum , & Antonium .*

Tu projecta mei perpeſſa es membra propinqui,
Tu nullo miſeri contegis oſſa ſolo)
Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

Tu projecta) *Se convertit Poeta ad Etruriam, & conqueritur de ipſa, ob miſeram necem ſui Galli, Vide præcod. elegiam.*

Proxima ſuppoſito campo) *Umbria ſcilicet contigua ruinis Peruſiæ.*

SEXTII AURELII PROPERTII UMBRII

ELEGORUM LIBER II.

I.

ALTERUM hunc librum suo nuncupat Mecœnati Propertius : significatque , se libentissime heroica scripturum , si ingenium non defuisset , & a Diis hoc concessum esset .

QUOD mihi si tantum, Mecœnas, fata dedissent;
Ut possem heroas ducere in arma manus :
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum: ut Cæli Pelion esset iter :
Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri;
Xerxis & imperio bina coisse vada :

Re-

Mecœnas) *O Mecœnas , deducerem Heroicas copias meis versibus in prælia .*

Titanas) *Tellus Titanas filios incitavit in Saturnum, quos Jovis ope devictos detrusit in Tartarum. Nec canerem Pelium impositum Ossæ, & Ossam Olympo: qui montes sunt in Thessalia , Gigantum bello contra Jovem famosi .*

Thebas) *Non bellum Thebanum , quod Ponticus , & Statius apud Romanos scripsere . Pergama fuerunt, Urbis Trojæ arces , cujus bellum* Homerus *XXIIII. libris complectens æternam famam consecutus est .*

Xerxis] *Xerxes Rex Persarum duo litora Hellesponti ponte junxit : de quo Herodotus , & Plutarchus .*

Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorumque minas, & benefacta Mari;
Bellaque, resque tui memorarem Cæsaris: & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut, civilia busta, Philippos,
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ:
Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ,
Et Ptolemeæ litora capta Phari:
Aut canerem Ægyptum, & Nilum, quum tractus in urbem
Se-

Regna prima Remi) *Originem Romæ*.

Animos Cartaginis) *Bella Punica*.

Cimbrorumque] *Cimbri, Germaniæ Populi, vicini Oceano a patrio solo egressi imperium Romæ evertissent, nisi* Marius *Arpinas illos in Italiam properantes variis certaminibus oppressisset. Unde Cicero Orat. pro Sextio, cum dicit ad salutem Imperii Romani natum*.

Mutinam] *O Mecœnas, mea Musa te semper jungeret armis Augusti, quoties canerem Mutinam, aut Philippos &c. Mutinæ obsessum D. Brutum ab Antonio, Hirtius & Pansa Coss. Romani liberarunt*.

Philippos) *Philipphi, urbs Thessaliæ. Hic ab Augusto Brutus, & Cassius devicti sunt: & ubi Cæsar Pompejum deleverat. Dicuntur* busta civilia, *quod ibi innumeri cives occubuerunt*.

Siculæ fugæ) *Augustus Sextium Pompejum, Pompeji Magni filium, devicit, qui fugit sex tantum navibus, reliquis omnibus amissis, & captis plusquam* 350. *Vid. Suet. in Aug. c. 16.*

Focos &c.) *Bellum Perusinum intelligit. Vid. supra.*

Ptolemææ Phari] *Pharos, insula Ægypti, Alexandriæ ponte juncta. In ea erat turris immensæ altitudinis, quæ nomen ab Insula accepit. Bellum Alexandrinum hic intelligit Propertius. Vide Suet. in Aug c. 17. Dicitur Ptolemæca hæc Pharos a Ptolemeo primo Rege.*

Ægyptum) *Devictam, & in provinciam redactam, & Nilum Rogam in triumphum tractum: simulacra etiam fluviorum in triumphum circumferebant Romani.* Magno mærentem corpore Nilum, *cecinit Virg. l. 8.*

Septem captivis debilis ibat aquis :
Aut Regum auratis circumdata colla catenis :
Actiaque in Sacra currere nostra via .
Te mea Musa illis semper contexerit armis ,
Et sumta , & posita pæne fidele caput .
Theseus infernis , superis testatur Achilles :
Hic Ixioniden , ille Menœtiaden .
Sed neque Phlegræos Jovis , Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus .
Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos .
Navita de ventis , de tauris narrat arator :
Enumerat miles vulnera , pastor oves .

POE-

Septem aquis) *Septem ostiis .*

Actia rostra) *Nempe naves captas bello Actiaco , seu ad Actium promontorium Epiri gesto , ubi M. Antonium Augustus vicit ; fugavitque : ludosque ibidem instituit Apollini , &* Actia *nuncupavit . Sacra via , qua vecta sunt rostra , est vicus Romæ ; per quem Trumphantes vehebantur in Capitolium .*

Te) *Laus Mecœnatis Augusto fidelissimi domi , militiæque .*

Theseus) *Amicitiam Mecœnatis in Augustum comparat amicitiæ Thesei in Ixionidem , i. e. Pirithoum filium Ixionis , & Achillis in Menœtiadem , i. e. Patroclum , filium Menœtii . Theseus cum suo Pirithoo descendere non metuit ad inferos ad Proserpinam rapiendam . Quantum Achilles dilexerit* Patroclum , *testatur Homerus , qui de Patrocli morte ab Hectore occisi mærore dejecit .*

Phelegræos) *Phlegræi campi sunt juxta Puteolos , vulgo* Solfataja . *Enceladus fuit unus e gigantibus , qui bellum Jovi excitavit , & fulmine ictus monti suppositus est .*

Callimachus) *Qui grandi filio , & cothurno non adsurgit , bella scribere non præsumat : ut Callimachus , cujus est blandus scribendi modus . Atque huic tacite se comparat Propertius . Ovid.*

Callimachi numeris non est dicendus Achilles .

Cæsaris) *Non est meorum laterum , superbo versu nomen Cæsaris ad ejus majores Heroas Phrygios deducere.*

I I.

POETA elegis concinendis se modum imponere significat : & jam tempus esse dicit, res a Cæsare Augusto præclare gestas heroico celebrandi .

AUGUSTI LAUDES.

SED tempus lustrare aliis Helicona choreis ,
 Et campum Hæmonio jam dare tempus equo .
Jam libet , & fortes memorare ad prælia turmas ,
 Et Romana mei dicere castra ducis .
Quod si deficiant vires ; audacia certe
 Laus erit . In magnis & voluisse , sat est .
Nunc volo subducto gravior procedere vultu .
 Nunc aliam citharam me mea Musa docet .
Surge, anima, ex humili: jam carmina sumite vires ;
 Pierides, magni nunc erit oris opus .
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
 Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho ;

Et

Lustrare helicona choreis) *i. e. Obire aliis choreis montem Musis sacrum, in Bœotia situm .*

Hæmonio) *i. e. Thessalia equi laudatissimi .*

Mei ducis) *Augusti Cæsaris , cujus partes secutus fuit Poeta .*

Subducto vultu) *Contracta , caperata fronte , & severa .*

Magni oris) *Ita Horat.) Cui mens divinior, atque os magna sonaturum . Sat. 4. l. 1.*

Euphrates) *Fluvius maximus . Asiæ ab Armenia in Persicum sinum se exonerat . Augustus post confecta bella civilia ad componendas res Orientis venit in Syriam . Metu belli , ac Romæ potentia perculsus Rex Parthorum Phraates , reddidit Augusto omnes captivos Romanos signaque omnia militaria , quæ Antonio , & Crasso ademta fuerunt . Ita etiam Hor. l. 1. Epistol. Et formidatam Parthis te principe Romam .*

India) *Regio Asiæ vastissima sub Augusto primum cum Romanis societatem iniit .*

Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulcrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor, artificis vivida signa, boves.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos, Al-

Femina turba) *Pro feminea turba. Danaus Rex Ægipti 50. filias genuit, quas quum peteret Ægyptus frater filiis suis, qui totidem erant numero, uxores: Danaus, Oraculo docente, se a genero interfectum iri, jussit filias suas, ut ipsum interficerent: atque hæ cultris armatæ, viros suos somno, lætitiaque sopitos nocte jugularunt, præter Hypermnestram, quæ Linum virum suum servavit (qui postea secundum oraculum Danaum interfecit:) & Bebrycam, quæ Hippolyto pepercit.*

Phœbo) *In illa porticu Phœbus erat marmoreus ipso Phœbo pulcrior, & hiscendo carmina canere videbatur.*

Armenta) *Circa aram Phœbi erant quatuor boves ænei Myronis, peritissimi sculptoris. Apollo pavisse armenta dicitur.*

Ortygia) *Ita quoque dicta est Delos (insula Cycladum in Ægeo, Apollinis templo clarissima.) ab* ὄρτυξ, υγος, *coturnix, quod primum in ea avis hæc visa fuerit.*

Supra] *Templorum fastigia simulacra Deorum curru vecta imponi solebant.*

Valvæ) *Valvæ hujus templi Palatini ex ebore Libyco miræ artis artificium ostentabant. In Libya, proveniunt Elephantes:* unde dentes libyci.

Altera &c. *In foribus eburneis hujus templi Palatini insculpta erant varia Apollinis egregia facinora. In una valva erant Galli de Parnasso fulminibus e cælo missis præcipitati, qui in Phocidem irruperunt, ut ex Apollinis Delphici templo donaria diriperent: inde in Asiam penetrarunt, & Galatiæ provincia*

Altera mærebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

nomen indiderunt. In altera valva templi erat historia filiæ Tantali Niobes, ac ejus filiorum, qui omnes ad unum perierunt Apollinis, ac Dianæ sagittis confossi.

Inter Mater, ac Sororem] *i. e. Latonam insculptam, & Dianam: Latona ab Jove habuit duos gemellos Apollinem, & Dianam in Delo insula.*

Pythius) *Apollo dicitur Pithius a serpente interfecto, cui nomen Pitho. Ovid. lib. 1. Metam.*



SEXTII

SEXTII AURELII
PROPERTII
UMBRII
ELEGORUM LIBER III.

I

CALLIMACHI, & Philetæ Coi, Græcorum Poetarum, & Elegiarum ſcriptorum, umbras invocat Propertius, ut inter Poetas elegiacos adnumeretur. Inde ſeipſum commendat, quippe qui primus latinos Elegos excoluerit, unde ſibi nomen immortale auguratur.

DE SEIPSO.

CALLIMACHI manes, & Coi ſacra Philetaæ,
 In veſtrum, queſo, me ſinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
 [illegible] per Grajos orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuaſtis in antro,
 Quove pede ingreſſi, quamve bibiſtis aquam,

L Ah

Nemus) *Hor. Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.*

Orgia) *Orgia apud Græcos ſunt omnium Deorum ſacra, ſicut ceremoniæ, & ritus apud Latinos. Muſæ enim habent ſua ſacra, & ceremonias: unde latini Poetæ adpellantur Sacerdotes, qui ferunt elegorum ſacramenta inter Græcorum poetarum choros.*

Antro) *Antra non pauca erant ſacra Muſis, ſeceſſum quærentibus.*

Tenuaſtis) *Concinnaſtis ad mollem, & tenuem ſtilum Callimachi.*

Quove pede) *Bonone, an lævo intraſtis?*

Quamve aquam) *Plurimi fontes Muſis ſacri. Perſius: Nec fonte labra prolui Caballino.*

Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me fama levat terrà sublimis: & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis.
Et mecum in curru parvi vectantur amores:
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ:
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba;
Post obitum duplici fenore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas:
Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Æmonio cominus isse viro? Idæum

Exactus) *Alludit ad morem, quo solebant Veteres expolire pumice libros.*

A me) *Nata a me Musa: i. e. primus ego Elegiarum scriptor, & jam Musa Latina vehitur curru triumphali una cum turba Cupidinum, turba poetarum rotas subsequente.*

In me) *Quid a me contenditis? Difficilis aditus ad Musas.*

Bactra) *Bactra, orum, & Bactrum, i, primarium Scythiæ oppidum.*

De monte) *Ex Helicone, vel Parnasso, libellum hunc nostrum, semita nulli hactenus trita adtulit, quem in pace legas.*

Pegasides) *Ita adpellantur Musæ a fonte, quem Pegasus equus ictu ungulæ aperuit.*

Mollia serta) *Ob blandos Elegiarum versus. Non quærit poeta coronas partas in canendis Ducum gestis.*

Invida turba) *Vellejus Paterculus. Præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur.*

Equo] *Intelligit Trojam abiegno equo captam.*

Fluminaque) *Xanthum, & Simoenta significat,* qui-

Idæum Simoenta, Iovis cunabula parvi?
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, & Polydamanta in armis?
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion: & tu
Troja bis Oetæi numine capta Dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
Illum post cineres auguror esse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro,
Provisum est, Lycio vota probante Deo.

qui, uti canit Homerus, simul concurrerunt ad obruendum Achillem, ab Æmonia (quæ & Thessalia) oriundum.

Simoenta) *Simois, entis fluvius prope Idam non procul a Troja, ubi Jupiter nutritus fuit.*

Hectora) *Hector ab Achille victus ter raptatus est currui adligatus circum Trojæ mœnia.*

Deiphobum &c.) *Tres Heroes carminibus Homeri & Virgilii notissimos.*

Parin) *Parin, formosum licet, at imbellem, vix novissent sui cives.*

Oetæi) *Oetæus Deus dicitur Hercules, ab Oeta monte Thessaliæ, in quo combustus periit. Troja dicitur bis capta nutu Herculis: Hercules enim eam cepit, quando promissos equos Laomedon Rex ipsi denegavit. Iterum capta fuit quum Philoctetes Herculis ipsius sagittis, in quibus Trojæ fatum erat, Paridem occidit.*

Lycio) *Lycius Deus est Apollo, a Lycia, Asiæ provincia, ubi templum clarissimum habuit: &* Lyciæ sortes *a Virgilio dictæ sunt oracula Apollinis. Dictus est etiam Patareus: nam Pataræ fuit hoc templum Apollinis* Lycii,

II.

CARMINIBUS significat Poeta nihil esse perennius, nullasque esse moles pyramidum, & monumentorum superbas structuras, quae non sint habitura finem; sed solum gloriam, & famam partam viribus ingenii semper victuram.

IN POESEOS LAUDEM.

CARMINIS interea nostri redeamus in orbem,
 Gaudeat ut solito casta puella sono.
Orphea detinuisse feras, & concita dicunt
 Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
 Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
 Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho, & Apolline dextro,
 Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis:
 Nec camera auratas inter eburna trabes.

Nec

Detinuisse) *Quomodo Orpheus ad se feras lyrae cantu traxerit, narrat Ovid. lib. 10. Metam.*

Cithaeronis) *Cithaeron, mons est Boeotiae, cujus saxa e sedibus suis convulsa, & attracta lyrae Amphionis cantu sponte sua coaluere, ut Thebarum moenia componerentur.*

Polypheme) *Poliphemus Ciclops, Neptuni filius, sub Aetna degens traxit carminibus Galateam vectam equis rorantibus: erat enim Dea marina.*

Baccho &c.) *Bacchus, & Apollo, Dii poetarum tutelares: unde, quum faveant, fiunt versus jucundissimi: dicit insfra Prop.*

Haec curent pueri, curent haec scripta puellae,
 Meque deum clament, & mihi sacra ferant.

Taenariis) *Marmor Taenarium, idest tractum e Taenaro, promontorio Laconiae in Peloponneso.*

Nec mea Phæacias æquant pomaria silvas,
  Non operosa rigat Marcius antra liquor.
At Musæ comites, & carmina cara legenti,
  Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunate meis quisquis celebrabere chartis,
  Carmina virtutis sunt monumenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti.
  Nec Jovis Elæi Cœlum imitata domus:
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
  Excidet. Ingenio stat sine morte decus.

Phæacias) *Corcyra insula, dicta est Phæacia, a Phæaco, Alcioni filio, qui ibidem habuit hortos, quibus nil fuit mirabilius.*

Marcius liquor) *Fuit aqua laudatissima, Romam a gente Marcia ducta, quam restituit M. Agrippa.*

Musæ) *Sunt tamen mihi Musæ comites, versusque mei sunt jucundi lectoribus, & meis cantibus lassata est Calliope, una e Musis.*

Nec Jovis) *Jovis Olympici templum intelligitur, quod in Elide fuit, celeberrimum ludis, & oraculo: ubi Jovis statua eburnea incredibili magnitudine a Phidia fabrefacta.*

Mausolei) *Mausolus fuit Rex Cariæ. Huic mortuo Artemisia uxor sepulcrum construxit ea magnificentia, ut inter septem Orbis miracula recenseretur.*

III.

SOMNIUM narrat Poeta: visus enim erat sibi in Helicone, Musarum monte, dormire: quumque Heroico carmine bella scribere meditaretur, a Phœbo admonitum se dicit, ut ad elegos se converteret.

VATIS SOMNIUM.

VISUS eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi:
Reges, Alba, tuos, & Regum facta tuorum
Tantum operis, nervis hiscere posse meis.
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit:
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila;
Regiaque Æmilia vecta tropæa rate:

Vi-

Bellerophontei) *Ad Heliconem montem fons est Caballinus, quem dicitur Pegasus equus ungula sua produxisse: quem Bellerophonteum dicit, quia a Bellerophonte Neptuni beneficio fuerit deprehensus, ut contra Chimeram pugnaturus uteretur.*

Alba) *Albanos Reges, a quibus Romani duxerunt originem, enumerat Livius l. 1. Horum gesta canere meis fidibus, erat magnæ molis.*

Ennius) *Ennius, poeta Tarentinus, primus Latinorum heroico carmine annales scripsit: articulari morbo periit, quem contraxit, vino immodice potando, & siccandis calicibus.*

Curios] *Pugnam intelligit tergeminorum Curiatiorum adversus tergeminos Horatios. Horatii fuerunt Romani, Curiatii Albani: Victi autem sunt Albani a Romanis: ac victoribus deinceps obsecuti sunt. Historiam refert Liv. lib. 1.*

Horatia pila) *Ita dicta est columna, cui imposita sunt Curiatiorum spolia ad æternum pugnæ hujus monumentum.*

Æmilia) *Perseus, Rex Macedonum, ductus est Romam captivus a Paullo Æmilio, nave sexdecim remorum ordinibus ornata. Vid. Liv. lib. 44.*

Victricesque moras Fabii, pugnamque finistram
  Cannensem, & versos ad pia vota Deos:
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes:
  Anseris & tutum voce fuisse Iovem.
Quum me Castalia speculans ex arbore Phœbus,
  Sic ait aurata nixus ad atra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
  Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti.
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur sæpe libellus,
  Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
  Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat adfixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.

Fabii) *Fabius Maximus nectendo moras Hannibalem hactenus invictum fregit: unde* cunctando restituit rem, *ut Virgilius inquit Æned. VI.*

Cannensem) *Pugnam funestissimam Romanis norunt omnes: deinde Dii propitii facti sunt Romanis.*

Lares *Scripsit etiam Ennius, Lares seu Deos Romæ tutelares, Hannibalem Romam obsidentem variis terriculamentis fugasse post Cannensem victoriam.*

Jovem) *Jovis scilicet Capitolium, ad quam arcem quum noctu Galli clanculum obrepsissent, anseres fallere non potuerunt, quorum strepitu excitatus Manlius Gallos deturbavit.*

Arbore) *Arbos est laurus, quæ plurima fuit in Parnasso monte, ubi & Castalius fons, quo se precipitavit Castalia virgo, Apollinem fugiens.*

Tali) *Cum tali flumine, ex quo nimirum Ennius, heroici Carminis scriptor, bibit.*

Hic) *Describit locum ab Apolline sibi demonstratum.*

Tympana) *Præcipue dabantur Cybelæ matri Deorum, quæ, utpote rotunda, orbem terræ referebant.*

Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami, Pan Tegeæe, tui,
Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.
Diversaeque novem sortitae jura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una Dearum:
Ut reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi fit rauco praetoria classica cornu
Flere, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut saevo perfusus sanguine Rhenus

Sau-

Sileni) *Silenus adpellatur Pater, honoris gratia. Fuit cum Musarum imaginibus etiam illa Sileni, qui, utpote nutritius Bacchi, numquam a Baccho sejungitur: qui Bacchus semper in medio Musarum choro choreas ducit.*

Pan) *Pan dicitur Tegeæus ab Tegea urbe quadam Arcadiæ.*

Gorgoneo) *Gorgoneus lacus est fons Caballinus a Pegasi ungulis productus. Pegasus autem a sanguine Medusæ Gorgonis natus est: unde etiam dictus Equus Medusæus.*

Punica rostra) *Columbæ erant coloris punicei, & subrubentis.*

Novem) *Varia Musarum officia designat, circa quæ manus exercent.*

Praetoria) *i. e. Imperatorum, ac ducum res gestas. Prætor pro quovis duce, & imperatore sumitur.*

Aonium) *Musarum nemus dicitur Aonium, ab Aone fonte in Bœotia.*

Mariano) *Hippallage, pro Mariana signa stent prælio, seu ad prælium parata. Cajus Marius Cimbros, Teutonas &c. cum ingenti manu contra Romam contendentes, fregit.*

Rhenus barbarus) *Germaniæ amnis.*

Saucia mœrentis corpora vectet aqua.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
Ora Philetæâ nostra rigavit aquâ.

Philetæa) *Calliope, postquam hæc dixisset, fonte, ex quo bibere solebat Philetas, exhausit aquam, & rigavit Propertii labra, & factus est elegiaci carminis poeta, ac Philetæ imitator.*

IIII.

EXPEDITIONEM, *quam Cæsar Augustus adversus Orientis populos adparabat, prosequitur Poeta, Romanisque armis felicitatem adprecatur.*

CAESARIS LAUDES.

ARMA deus Cæsar dites meditetur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces. Parat ultima terra triumphos;
Tigris, & Euphrates sub tua jura fluent:
Sera sed Ausoniis veniet provincia virgis.
Adsuescent Latio Partha tropæa Jovi.
Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano, Crassos, cladesque piate:

L 5 Ite,

Deus] *Deus adpellabatur Augustus, licet vivus. Ita Hor. lib. 3. od. 5. Præsens divus habebitur.*
Indos) *Indi, populi Asiæ, sunt dites, quippe qui auro, gemmis &c., quæ in mari reperiuntur, ad delicias abundant.*
Tigris, & Euphrates) *Maximi sunt Asiæ fluvii.*
Sera) *Sensus est: Regio orientalis serius quidem, attamen erit sub Augusto Provincia, & experietur Romanos fasces.*
Partha) *De Parthis populis spolia relata, & adposita Jovi Capitolino lege Sueton.*
Equi) *O equi bellatores consuetum officium facite.*
Crassos) *Crassi duo, pater, & filius contra Parthos pugnantes occubuerunt: unde piate maculam Reipublicæ illatam, & Romano nomini consulite,*

Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis onerato Cæsaris axe
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos:
Tela fugacis equi, & bracati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serva, Venus: hoc sit in ævum,
Cernis ab Ænea quod superesse, caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores:
Mi sat erit, Sacra plaudere posse via.

Fatalia lumina) *Sempiternus scilicet ignis, qui a Virginibus Vestalibus, tamquam Romæ fatum & tutela, servabatur.*

Sæpe resistere) *Ob spoliorum pondus.*

Fugacis equi) *Parthorum equitum, qui fugiendo pugnabant.*

Bracati) *Quis fuerit bracatus hic miles, an Gallus, an Dacus, an Ponticus, an Medus, an Sarmata, ignotum: omnes enim hæ gentes bracis utebantur.*

Tuam prolem) *Julia gens, a qua Augustus, a Venere ducebat originem: Julius enim fuit Æneæ filius, Æneas autem Veneris.*

V.

DEUM pacis, non Martis castra, vult sequi Propertius. Se divitibus non invidere dicit, quum omnia apud Inferos confundantur. Avaros insectatur, nil enim ad inferos adsportabunt. Dicit etiam ludo in juventute indulgendum, atque in senectute se philosophiæ studio daturum.

DE SEIPSO.

PACIS Amor Deus est: pacem veneramur & omnes:
Stant mihi cum domina prælia cura mea.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,

Nec

Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra peto classe, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte:
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis jactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas.
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris.
Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes:
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris implicuisse manus.
Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,

L 6 Et

Gemma) *Non bibo e poculis gemmatis.*

Campania) *Provincia Italiæ felicissima, cujus caput olim Capua, nunc Neapolis, longe præstans Capuæ.*

Corinthe) *Æs Corinthiacum celebratissimum commistum erat ex auro, argento, ǽreque. Corinthus erat urbs Achajæ, duorum portuum commoditate ditata. Atque illuc mercandi caussa Corinthiaci æris, ex Asia, & Europa mercatores confluebant.*

Prometheo) *Hominis miseriam deflet, & formationem humani corporis a Prometheo factam, qui parvam curam hominis animo habuit; quum animus longe nobilior sit corpore. Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Mario) *Inferi Marium victorem cum victo Jugurtha confundunt, omnesque ibi æquales sunt.*

Crœsus) *Lydorum Rex opulentissimus. Irus homo pauperrimus, e Dulichio insula maris Jonii. Vide Homer. Odyss. 18.*

Parca) *Quæ apto loco, & brevi tempore venit.*

Lyæo) *Ad ebrietatem usque bibere, & genio indulgere.*

Et caput in verna semper habere rosâ.
Atque jocos ubi jam gravis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas,
Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores:
Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus, in plenum menstrua Luna redit:
Unde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus, & in nubes unde perennis aqua:
Sit ventura dies, mundi quae subruat arces:
Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas:
Aut cur Perrhœbi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis:
Cur serus versare boves, & plaûstra Bootes:
Pleïadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus & in partes quattuor annus eat:
Sub terris sint jura Deûm, & tormenta Gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput:
Aut Alcmaeoniae furiae, aut jejunia Phinei: Num

Naturae) *Quae Philosophia docet, dum senex est, vult inquirere Propertius.*

Salo) *Cur in mari venti abundent: quid Eurus insidietur: unde imber in nubes proveniat.*

Arcus) *Iris aquas bibere dicitur: udo enim tempore apparet semper: unde imbrifer arcus apud poetas.*

Perrhœbi) *Pindum poeta vocat Perrhæbum, ad ejus quippe montis radices Perrhæbi populi siti sunt. Mons hic est in Thessalia altissimus, Musis sacer. Cur tremant montes perdiscam, & cur Sol eclipsim patiatur.*

Bootes) *De Boote jam sæpius dictum est.*

Pleïadum) *Plejadas sunt septem stellæ: earum fulgor dicitur spissus, quia est tenuis, & densus, & vix cernitur, immo una ex illis fere latet.*

Jura) *Sintne inferi, & ibibi judices. Sitne Tisiphone, una ex furiis, anguibus armata.*

Alcmaeoniae) *Quæ furiæ vexent Alcmæonem, qui matrem suam interfecit, ut pius esse in Amphiaraum patrem, qui ei matris nequitias aperuit.*

Phineï) *Phineus Rex Arcadiæ, mortua Cleopatra, pri-*

Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas:
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, & Tityo jugera pauca novem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitæ superest mihi: vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

priore conjuge, secundam duxit Idæam: hujus suam Cleopatræ filios excæcavit: unde & ipse a Diis dicitur excæcatus, & continuo jejunare cogebatur: nam Harpyiæ cibos fœdabant, & rapiebant.

Rota) *Inferorum supplicia Poeta persequitur, scilicet Ixionis, Promethei, Tantali, ac Tityi.*

Crassi). *De Crassi signis. Vide* 248.

VI.

AVARITIAM mortalium, pecuniæque cupiditatem insectatur, cujus caussa Pætus quidem naufragio perierat.

IN AVAROS.

ERGONE sollicitæ tu caussa, pecunia, vitæ es:
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes:
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam, dum te sequitur, primo miser excidit ævo,
Et nova longinquis piscibus esca natat.

Et

Pætus) *Quis fuerit ille Pætus, ignoratur, nisi forte sit ille Arrhius Pætus, de quo exstat Catulli epigramma, quod incipit, Chommoda dicebat &c. nam in Orientem eum navigasse, & in Jonio mari periisse scribit ibidem Catullus.*

Pharios) *Pharon insulam Ægypti Alexandriæ vicinam significat.*

Obruis) *Submergis vesanis fluctibus.*

Et mater non justa piæ dare debita terræ,
  Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ:
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
  Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabant sanctos alveus ille viros.
Pæte, quid ætatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? Non habet unda Deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
  Quæ notat Argyni pœna natantis aquâ.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides,
  Pro qua mactata est Iphigenia morâ.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita,
  Pætum sponte tua vilis arena tegas.
Et, quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
  Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite rates curvæ, & leti quoque texite caussas:
Ista

Tua) *Pætum alloquitur poeta. Carpathium mare est pelagus ad Ægyptum vergens ab insula Carpatho dictum, sita inter Rhodum, & Cretam.*

Orithyiæ) *Aquilo dicitur timor Orithyiæ; nam ipse Aquilo, seu Boreas, Orithyiam filiam Erecthei, Regis Athenarum, rapuit.*

Alveus) *Navis: ita Virgilius Simul accepit alveo ingentem Æneam.*

Pæte) *Ita surdi sunt venti, & tempestas, ut piorum preces minime audiant.*

Agamemnonias) *Amnem Cephisum intelligit, in quo puer Argynus, Agamemnoni Regi Mycenarum carus, periit. Hujus amnis aquas reddidit infames mors, quam unda irata Argyno intulit. Agamemnon dictus Atrides ab Atreo patruo. Hic, ut placaret ventos, Deosque maris, Iphigeniam filiam immolavit, antequam solveret e portu Aulidis ad Trojam expugnandam.*

Quae) *Quæ* litora *pœna natantis Argyni notat, seu infamat.*

Rates) *Naves exsecratur poeta, & hominum audaciam.*

Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis; adjecimus undas.
  Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere Penates:
  Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcumque paras: haud ulla carina
  Consenuit. Fallit portus & ipse fidem.
Natura insidians pontum substravit avaris:
  Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
  Naufraga quum vasto Græcia tracta salo est.
Paullatim sociûm jacturam flevit Ulysses,
  In mare cui soli non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
  Verbaque duxisset pondus habere mea.
Viveret ante suos dulcis conviva Penates.
  Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ,
  Et duro teneras lædere fune manus;
Sed Thyæ thalamo, aut Oricia terebintho

Es-

Succedat) *Vix autem semel potest accidere, ut tibi prospere succedat.*

Capharea) *Caphareus mons in Eubœa, ubi mare nautis formidabile ob vortices. Ibidem Nauplius Eubœæ Rex mortem filii Palamedis Ulyssis dolo interemti ultus est. Græci enim quum victores ab Troja redirent, Nauplius facem in Chapharei montis vertice adposuit, ut Græcis locus ille portus fidem habere videretur: quo quum venissent, inter cautes Caphareas naufragium fecerunt.*

Sociûm) *Ulysses, quamvis mortalium vaferrimus, pericula maris effugere non valuit: sociorumque omnem comitatum vel naufragiis, vel aliis calamitatibus amissum flevit.*

Tulit) *Non potuit suno Pætus fragorem tempestatis audire.*

Thyæ) *Dum vult Pætus thalamo cedrino caput reclinare, ipsum sibi ungues radentem gurges inimicis fluctibus obruit. Thya est arbor odorifera, quæ cedrus dicitur. Oricum, urbs Epiri, ubi nascitur terebinthus, arbor ad vetustatem fidelis.*

Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,
Et miser invisam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
Pætus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor.
Dii, maris Ægæi, quos sunt penes æquora, venti,
Et quæcumque meum degravat unda caput:
Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser! Alcyonum scopulis adfligar acutis:
In me cæruleo fuscina sumta Deo est
At saltem Italiæ regionibus evehat æstus!
Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus,
Ultima quæ Pæto noxque, diesque fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso supponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, sæve Aquilo, numquam mea vela videbis.
Conjugis ante fores condar, oportet, iners.

Ægæi) *Mare Ægeum, nunc dicitur* Arcipelago.

Alcyonum) *Alcyones aves sunt marinæ, quæ nidum aptant scopulis.*

Fuscina) *Neptunus contra me suam impingit fuscinam.* Tridente.

Si modo) *Si corpus meum mater habeat.*

Centum) *Nereidas maris Nymphas, quæ centum credebantur, & Thetidem Achillis matrem adloquitur Poeta, quæ filii sui necem maternis lacrimis prosecuta est.*

ME-

VII.

MECOENAS hortatus fuerat Propertium ad heroicum carmen scribendum, & grandiora argumenta tractanda; qui quidem se excusat, non omnibus omnia convenire. Denique cum Mecaenatem impense laudarit, maximam ejus moderationem se velle imitari profitetur.

AD MECOENATEM.

MECŒNAS eques Etrusco de sanguine Regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam;
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sint apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta:
Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa.
Exactis Calamis se mihi jactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.
Parrhasius parta vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ.

At

Intra &c.) *Contentus enim semper fuit ordine equestri, quo natus est, altioresque dignitates etiam oblatas accipere noluit. Unde & Hor. lib. 3. od. 16 Mecoenas equitum decus. Oriundus fuit e gente Calnia, ex qua Reges Etruriæ.*

Æquo jugo) *Non ex eadem fonte laus omnis provenit.*

Lysippo) *Statuarius celeberrimus, qui sexcenta & decem opera fecisse traditur.*

Calamis) *Etiam insignis sculptor, qui currus, equosque sine amulo expressit.*

Apelles) *Venerem, quam Apelles insculpsit, mirum in modum prædicavit antiquitas. De Parrhasio Atheniensi, vel Ephesino pictore omnium prima in picturæ symmetria vide Plin. l. 35. c. 10., qui & ejus certamen cum Zeuxi narrat.*

Mentoris] *Qui fuit vasis cælandis artifex mirabilis.*

At Myos exiguum flectit acanthus iter .
Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno .
Praxitelem parius vindicat arte lapis .
Sunt, quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ .
Sunt, quibus in celeres gloria nata pedes .
Hic satus ad pacem , hic castrensibus utilis armis :
Naturæ sequitur semina quisque suæ .
A tua, Mecœnas, vitæ præcepta recepi ,
Cogor & exemplis te superare tuis ;
Quum tibi Romano dominas in honore secures ,
Et liceat medio ponere jura foro ;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes ,
Atque onerare tuam fixa per arma domum .
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes .
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras ,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus .
Crede mihi , magnos æquabunt ista Camillos
Indicia , & venies tu quoque in ora virum :

Cæ-

lis, atque addebat formæ, idest vasis , jam perfectis , ornamenta quædam, quæ nimirum ita applicarentur vasis, ut detrahi possent .

Myos). *Mys etiam fuit artifex peritissimus cælandi argenti . Acanthus herba est , quæ alio nomine branca ursina dicitur : hic accipitur pro flexuoso , & sinuoso ornatu .*

Phidiacus) *Phidias statuarius nobilissimus, diis efformandis nihil in eo genere perfectius , ait Cic. in Orat. De Praxitele scribit Plin. l. 36. c. 5. Marmoris nobilitate superavit etiam semet . Lapis Parius, qui solo Praxitele dignus est , educitur ex insula Paro , una ex Cycladibus .*

Eleæ) *Alii , inquit poeta , ludis Olympicis celebrantur . Elei populi (unde Elea quadrigia) sunt in Peloponneso , Jovis Olympici templo, & laudis Olympicis clarissimi .*

Dominas) *Dominationis indices .*

Medorum) *Medi sunt Asiæ populi . Parthis , Persisque finitimi .*

Camillos) *Camillus dictus est alter Romulus ob Gallos Roma dejectos .*

Caesaris & famae vestigia juncta tenebris:
 Mœcœnatis erunt vera tropæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
 Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
 Cadmi, nec semper praelia clade pari.
Nec referam Scæas, & Pergama, Apollinis arces,
 Et Danaûm decimo vere redisse rates;
Mœnia quum Grajo Neptunia pressit aratro
 Victor Palladiæ ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
 Et cecinisse modis, Coe poeta, tuis.
Haec pueri curent, curent haec scripta puellae:
 Meque Deum clament, & mihi sacra ferant.
Te duce, vel Jovis arma canam, cæloque minantem
 Cæum, & Phlegræis Oromedonta jugis.
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
 Ordiar, & cæso mœnia firma Remo:
Eductosque pares silvestri ex ubere Reges.
 Crescet & ingenium sub tua jussa meum.

Pro-

Cadmi) *Non canam arcem Cadmi, i. e. urbem Thebas a Cadmo conditas, ab Alcmæone dirutas, & ubi fratres germani Etheocles, & Polynices mutuis vulneribus conciderunt.*

Scæas) *Scæa, æ, nomen portæ cujusdam urbis Illi, a σκαιὸν dicta, quod sinistram sita esset. Sensus est: Non referam bellum Trojanum cum Græcis, qui Pergama, seu Trojam decem annis obsedere, quum Neptunus, & Apollo ædificarunt, & quam deinde decimo obsidionis anno pressit equus ligneus, opus Palladis.*

Callimachi) *De Callimacho, & Coo poeta. Vid. lib. 3.*

Cæum) *Cæus fuit unus e Gigantibus, qui Jovem e cælo dejicere conati sunt: sicuti etiam Oromedon in Phlegræis jugis: duplex est Phlegræus campus, alter in Thessalia, alter ad Puteolos.*

Ordiar) *Cantabo Romæ originem. Romuli tempestate boves in monte Palatino herbas depascebant. Post mortem Remi nemo ausus violare mœnia Urbis.*

Silvestri) *Remum, & Romulum lacte lupæ nutritos intelligit.*

Prosequar & currus utroque ab litore ovantes,
  Parthorum astutae tela remissa fugae:
Castraque Pelusî Romano subruta ferro:
  Antonique graves in sua fata manus.
Mollis tu coeptae fautor cape lora juventae,
  Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Mecoenas, laudis concedis: & a te est,
  Quod ferat, in partes ipse fuisse tuas.

Utroque ab litore) *Ab Orientali, & Occidentali mari triumphos a Romanis ducibus relatos prosequar. Parthi fingebant fugam pugnando.*

Pelusi) *Bellum Alexandrium notat, quum Antonium devicit Augustus: &, ut sibi manus inferret, Augustum compulit, qui Pelusium quoque urbem Egypti subvertit: nunc dicitur* Damiata.

Mollis) *i. e. facilis, & benignus. A te accepi, ut exempla tua sequerer.*

VIII.

CYNTHIAE Natalis dies, ut letius celebretur, caeli serenitatem optat poeta, maris tranquillitatem, & omnia fausta precatur: & Sponsam ipsam ad sacrum illum diem natalitium celebrandum exhortatur.

IN CYNTHIAE NATALEM.

MIRABAR quidnam misissent mane Camenae
  Ante meum stantes, Sole rubente, torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
  Ponat & in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
  Et Niobes lacrimas supprimat ipse lapis.

Al

Camenae) *Musae celebraturae diem Cynthiae natalem, Propertio summo mane ante torum adstiterunt.*

Niobes) *Niobe filia Tantali, & uxor Amphionis The-*

Alcyonum positis requiescant ora querelis,
 Incipet absumtum nec sua mater Ityn.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
 Surge, & poscentes justa precare Deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
 Et nitidas presso pollice finge comas.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
 Luxerit & tota flamma secunda domo;
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
 Et crocino nares myrrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
 Et sint nequitiæ libera verba tuæ.
Dein qua primum oculos cœpisti veste Properti,
 Indue, nec vacuum flore relinque caput.
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
 Inque meum semper stent tua regna caput.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos.
 Publica vicinæ perstrepat aura viæ.
Annua solvamus Musis solennia nostris:
 Natalisque tui sic peragamus iter.

Thebanorum Regis, sex mares filios, & sex feminas habuit: idcoque animo elata, se prætulit Latonæ, Apollo, ac Diana maternam ulcifcentes injuriam, duodecim ejus filios sagittis interemerunt. Niobem autem conquerentem, convitiantemque in saxum transformavit Latona: tum Amphion conjux præ dolore mortem sibi conscivit.

Alcyonum) *Alcyones aves marinæ mortem lamentantur Ceycis, conjugis Alcyones, quæ fuit in avem ejusdem speciei mutata.*

Ityn) *Sensus est: Nec Progne, quæ facta est hirundo, filium suum Ityn interemtum, & mensis adpositum lamentetur. Vid. pag.* 85.

Myrrheus onyx) *Est vasculus myrrha plenum, seu unguento pretiosissimo: unde myrrheus crinis, & myrrhea coma, i. e. myrrhâ delibuta.*

Aura viæ) *Aura viæ publicæ perstrepat cantu, plausuque.*

MU-

VIIII.

MULIERUM in viros potestas quanta sit, pluribus feminarum exemplis demonstrat. Deinde in laudes Augusti excurrens, Antonium, & Cleopatram Romanis arcibus formidabiles insectatur.

IN FEMINARUM POTESTATEM.

QUID mirare, meam si versat femina vitam,
  Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingit,
  Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius præsagit navita mortem,
  Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præterita jactavi verba juventa;
  Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
  Egit, & armigera prælia sevit humo.
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
  Mæotis Danaûm Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem;
  Vicit victorem candida forma virum. Om-

Colchis) *Medea a Cholchide oriunda incantationibus effecit, ut Jason tauros ignem spirantes, qui vellus aureum servabant, domaret jugo adamantino, quod scilicet frangi non posset. Et Medea docuit Jasonem, draconis dentes seminare: unde nati homines armati, qui sese mutuis vulneribus trucidarunt.*

Serpentis) *Draconis pervigilis, quam incantamentis Medeæ Jason sopitum interfecit, ut in Thessaliam vellus aureum in domum Æsonis, patris Jasonis, adsportaretur.*

Penthesilea) *Penthesilea Meotis, seu Scythia, auxilium Priamo, Trojanisque contra Græcos tulit. Demum, quum eorundem classem impeteret, ab Achille est interfecta. Achilles forma Penthesileæ captus, sepeliendam eam curavit: at Diomedes suadebat in Scamandrum fluvium projiciendam.*

Omphale in tantum formæ processit honorem,
  Lydia Gygæo tincta puella lacu;
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in adversum misit per mœnia currus,
  Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit & Euphratem medium, qua condidit arces.
  Jussit & imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego Heroas, quid raptem in crimina Divos?
  Jupiter infamat seque, suamque domum.
Quid modo, quæ nostris opprobria vexerit armis,
  Et famulos inter femina trita suos?

Con-

Omphale) *Omphale, Regina Lydiæ, quæ se lavit in lacu Gygeo [qui XXXX. stadiis distat a Sardibus) ea floruit pulcritudine, ut Herculem ad lanificium, & ad pensa trahenda sibi servientem compulerit: atque hic, postquam mundum monstris, tyrannisque purgasset, laborum suorum metas duas erexit columnas in extrema Hispania, Calpen, & Abelam dictas.*

Semiramis] *Assyriorum fuit Regina, Nini Regis uxor, quæ hujus persona adsumta annos* [illegible]. *regnavit, triumphis, divitiis, imperioque omnes Reges superavit. Babylonem e cocto latere maximam fecit, portisque centum æneis, hortis pensilibus, murisque altitudine CC. cubitorum, latitudine L. ad septimum terrarum orbis miraculum ornavit, ita, ut duæ quadrigæ sibi occurrentes sine periculo attingendi commeare potuissent: fluviumque Euphratem per mediam Babylonem induxit: & Bactra, caput Bactrianæ regionis, Assyriorum imperio adjecit.*]

Raptem) *Quid vocem in crimen Divos, & Heroas? Jupiter ipse tot pellicibus celum infamavit.*

Quæ) *Hæc femina est Cleopatra, quæ magnum dedecus intulit Romano nomini, bellum intentando, inter servos ipsos prostituta: & ab Antonio pro male ominati conjugii mercede imperium Romanum poposcit, & Senatores.*

Conjugis obſceni pretium Romana popoſcit
  Mœnia, & addictos in ſua regna Patres.
Noxia Alexandria, dolis aptiſſima tellus,
  Et toties noſtro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos:
  Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
Iſſent Phlegræo melius tibi funera campo,
  Vel tua ſi ſocero colla daturus eras.
Scilicet inceſti meretrix Regina Canopi,
  Una Philippæo ſanguine aduſta nota,
Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubin,
  Et Tiberim Nili cogere ferre minas:
Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro,
  Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

Fœ-

Alexandria) *Poeta convertit ſermonem ad Ægyptum, cujus urbes fuerunt Alexandria, & Memphis, in qua fuerunt Pyramides inter orbis miracula. In Ægyptio litore occiſus fuit Pompejus, tot triumphis clarus, quot ſunt terræ partes, ait Cicero pro Cornel. Balbo. Tres triumphos adſerit ei Vellejus, & Plinius. Et Albinus apud Priſcianum.*

Ille, cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte deum patuere.

Phlegræo) *Phlegræum campum vocat Pharſalicum in Theſſalia, ubi cum ſocero ſuo Julio Cæſare Pompejus infauſtis avibus decertavit.*

Regina) *Cleopatra, Regina Canopi, urbis Ægypti, cujus cives moribus erant perditiſſimis: quæ meretrix Cleopatra dicitur, infamiam inuſſiſſe genti Macedonum, a quibus ipſam ortam narrant Hiſtorici omnes:*

Anubin) *Pugnam Actiacam deſignat, qua commiſſos eſſe Romanos, ac Ægyptios deos adſeverat. Anubis deus maximus Ægypti, capite canino effingebatur: unde latrator Anubis.*

Siſtro) *Siſtrum fuit muſicum inſtrumentum Ægyptiorum, quo in tripudiis utebantur, ſicuti tuba Romani.*

Baridos) *Baris navigii genus, quo vehebant Ægypti*

Fœdaque Tarpejo conopea tendere saxo,
Jura dare statuas inter, & arma Mari,
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris:
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis adsiduo lingua sepulta mero.
Septem Urbs alta jugis, toti quae præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.

M Han-

ptii mortuorum cadavera ad sepulcrum. Rostra autem Liburna, sunt Romanorum rostratæ naves, dictæ Liburnæ, a Liburnis Illyrici populis.

Conopea] *Cleopatra ausa est tendere fœda tentoria* (padiglioni, tende) *in Tarpeja rupe, i. e Capitolio: ubi erant Statuæ, & tropæa Caji Marii relata de Jugurtha, de Cimbris, ac Teutonis.*

Tarquinii) *Tarquinium Superbum intelligit Poeta, cujus secures, i. e. imperium fractum est a Romanis, quum ejectus fuit. Dicit autem Propertius, si tyranno parendum sit, ferendum sit potius Tarquinium, quam feminam superbam, & impudicam.*

Fugisti) *Ex Actiaco prælio 50. navibus fugientem Cleopatram secutus Antonius, victoriam reliquit Augusto.*

Accepere) *De imagine Cleopatræ intelligendum, ducta in triumphum Romæ cum aspide mordicus ejus brachio inhærente: interim corpus abditam viam mortis attrahebat.*

Tanto cive verenda] *Augusto sospite, femina hæc non tibi, o Roma, metuenda est, neque lingua Antonii imperatoris, perpetuo mero calentis. Tu, quæ vicisti Hannibalem, Syphacem Regem Numidiæ a Scipione captum, & carcere inclusum, & Pyrrhum Epirotarum Regem, de quo M. Curius Dentatus triumphavit.*

Hannibalis spolia, & victi monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
At Decius misso prælia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Et cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc Di condiderunt, hæc Di quoque mœnia servant,
Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem.
Nunc ubi Scipiadæ classes? ubi signa Camilli?
Aut modo Pompejâ Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petis portus, seu navita linques,

Ce-

Curtius) *Quum Romanum forum vasto hiatu desedisset, Haruspices dixere, expleri non posse, nisi ea re, qua plurimum posset populus Romanus. Quod de virtute populi Romani M. Curtius interpretatus, equitans in eam voraginem se immisit, & hiatus expletus est.*

Decius) *Decius concitato equo in medios hostes irruit. Liv. lib.* 8.

Coclitis) *De Horatii Coclitis virtus nota est historia.*

Corvus) *Valerium Corvinum intelligit, ita dictum a Corvo, qui ei in auxilium venit, quum contra Gallum provocantem, quem vicit interfecitque, dimicaret.*

Scipiadae) *Scipio Africanus summa celeritate in Africiam classem transmisit, de quo Luceretius:* Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror. *Camillus Gallos Roma expulit: signaque, quæ Romanis ademerant, recepit. Bosphora neutro genere, ut Menala, Ismara &c.. Duplx est Bosphorus, Thracius, & Cimmerius: utrumque vicit Pompejus.*

Leucadius) *Apollo celebrabit victoriam Augusti, & versam in fugam Antonii classem. Apollo dicitur Leucadius a Leucade in Epiro, ubi templum habuit, quod ornavit Augustus post Actiacam victoriam. Tantum opus una belli dies confecit.*

At tu sive) *Elegiam clausurus poeta, navigantes per*

mare

Cæsaris in toto sis memor Ionio.

mare Jonium monet, ut Augusto acceptum referant, quod tuti navigent eo mari, quod Antonius, & Cleopatra armis suis infestabant, antequam delerentur.

X.

POSTHUMUM quemdam incusat, qui ductus avaritia conjugem suam Gallam reliquerat, ut Augustum contra Parthos sequeretur: carpitque hominem, quod pluris faceret pecunias, quam uxorem, quæ castitate, & pudicitia Penelopem vinceret.

IN POSTHUMUM.

POSTHUME, plorantem potuisti linquere Gallam,
  Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
  Ne faceres Gallâ multa rogante tuâ?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari,
  Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen injectâ tectus, vesane, lacernâ,
  Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Hæc tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tuâ Medæ lætentur cæde sagittæ,

Tantine) *Tanti ne facies laudem de Parthis victis, ut Gallam tuam enixe te precantem, ne deseres, non exaudieris.*

Lacerna) *Vestis militaris genus; unde populus urbanus togatus; castrenses vero, seu militares,* lacernati *vocabantur.*

Araxis) *Fluvius Armeniæ Majoris, qui in Caspium se exonerat. Solenne militibus fuit aquam galea potare. Consule pag.* 180.

Fama) *Galla interea ob vanam gloriam tuam contabescet, ne hæc expeditio tibi sit luctuosa.*

Medæ) *i. e. Parthæ. Parthi enim insignes sagittarii. Ne ferreus cataphractus gaudeat æque suo aurato*

Ferreus aurato neu cataphractus equo:
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in castâ felix, o Posthume, Gallâ,
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas: Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittet,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Posthumus alter erit, miranda conjuge, Ulysses:
Non illi longae tot nocuere morae.
Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circae fraudes; lotosque, herbaeque tenaces,
Scyllaque, & alterna scissa Charybdis aqua:
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos:
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies:
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum:
Sirenum surdo remige adisse lacus:
Et veteres arcus lecto renovasse Procorum,

Er-

Ulysses] *Enumerat poeta Ulyssis labores, erroresque, qui non nocuerunt eidem apud Penelopen constantem: ita apud Gallam pudicam expeditio Posthumi, &c. Hos Ulyssis errores jam supra descripsit Tibullus pag.* 220.

Ismara, Calpe) *In Hispaniam ultimam navigavit Ulysses, unde urbs Ulysippo.* Lisbona. *Vide pag.* 220.

Lampeties) *Lampetie Phœbi filia: dicitur pavisse boves patris in Sicilia, quos Ulyssis socii furati sunt.*

Ææae) *Circes sic adpellata ab Ææa insula, quam habitabat. Hic autem Propertius intelligit de Calypso Nympha, nam jam dixit de Circe. Licet Homerus domum Calypsus adserit fuisse Ogygiam: sed circa fretum Siculum plures fuere insulæ nomine Ææa.*

Veteres arcus) *Qui toto errorum Ulyssis tempo-*

re

Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincit Penelopes Laelia Galla fidem.

re jacerunt inutiles; tamen contra Procos Penelopes, quos omnes occidit, exercuit. Vide Odyss. lib. 21. & 22.

XI.

MULIERUM avaritiam insectatur, & luxum, quem nimium libere grassari mores sinebant.

IN MULIERES.

CERTA quidem tantis caussa est manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit, e Rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,

Cavis) *Narrant, Indicas formicas ex terræ cavernis aurum egerere. Metalla posuit pro fodinis.*

Concha Erycina) *Dicitur concha Erycina a Venere, quæ concha vecta est in Cytheram, statim ac e spumabundo mari orta fuit. Erycina dicitur Venus ab Eryce, Siciliæ monte, in quo religiosissime colebatur.*

Cadmea Tyros) *Quia nimirum Cadmus filius fuit Agenoris Regis Tyriorum. Tyrus conchyliis, & purpura nobilissima.*

Arabs) *Pastor dicitur, quod armenta summas divitias æstimaret, uti de Jobo in sacris Codic. Arabes metunt, & colligunt omne genus aromatum, & unguentorum.*

Icarioti) *i. e. O Penelope: quæ fuit filia Icari.*

Nepotum) *Nepotes censebantur luxuriosa vitæ homines.*

Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque, ubi mortifero jacta est fax ultima lecto;
Uxorem fusis stat pia turba comis:
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
Conjugium: pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella;
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis, & arbor erant.
Illis munus erat decussa cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia, virgineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumæ versicoloris avem.
Hinnulei pellis totos operibat amantes:
Altaque nativo creverat herba toro.
Pinus & incumbens lentas circumdabat umbras,

Nec

Matronæ prodire in publicum audent amictæ fortunis hominum luxu perditorum, & exuvias probrosorum hominum gerunt ante oculos nostros.

Lex funeris) *Lex est apud Indos, ut uxores (plures enim uni viro nubunt) judicio contendant, quæ magis maritum dilexerit: quæ vicerit, exquisito cultu ornata una cum viro in rogum imponitur, & crematur: quæ victa est, mæsta discedit.*

Ardent) *Quæ uxor vicerit, gaudet, & præbet corpus flammæ, & faciem suam, ut peruratur.*

Evadne] *In urbe Romæ non est Evadne, quæ in viri sui Capanei rogum se injecit. De Penelope nota fabula, quæ procos viginti annos delusit.*

Cydonia ramo) *Sunt poma, de quibus loquitur Virg. Ecl. 1. Aurea mala decem misi, cras altera mittam. Rubum posuit pro Moris.* Celse.

Amantes) *Conjuges Amantes.*

Nec fuerat sacras pœna videre Deas;
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux Aries saturas ipse reduxit oves.
Diique, Deæque omnes, quibus est tutela per agros
Præbebant vestris verba secunda focis.
Et leporem, quicumque venis, venaberis hospes,
Et si forte meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:
Sive petas calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brenuum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnassi sparsit in arma nives.
Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,

 Di-

Pœna) *Alludit ad fabulam Actaonis, cui pœna inflicta, quod Dianam conspexisset.*

Idæi) *Idæus Pastor est Paris, nam a Pastoribus in Ida monte nutritus est, & pavit ipse greges: in Paridis aulam cornutus aries reducebat oves saturas.*

Brennum) *Tangit historiam Gallorum, qui duce Brenno ducti prædæ cupiditate templum Apollinis Delphici invaserunt (qui dicitur Pythius, a Pythone serpente interfecto, & Intonsus, quia semper juvenis) Quare Deus hic iratus fulminibus, & concussa Parnassi vertice, & effusis nivibus a proposito eos disjecit.*

Thracis) *Polymnestor fuit Rex Thracum: huic genero suo Priamus Polydorum filium cum magno auri pondere tradidit educandum: sed Rex auri potiundi cupiditate Polydorum obtruncavit: unde merito appellatur scelestus. Æn 3.*

Eriphyla) *Amphiaraum conjugem in bellum Thebanum ire detrectantem prodidit Eriphyla, accepto monili aureo ab Argia, Polynicis uxore: & Amphiaraus hiatu terræ Thebis cum curru absumtus est.*

Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus haruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mœnas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti:
Experta est veros irrita lingua Deos.

Certa loquor) *Licet certa dicam, non mihi fides habetur, sicuti olim Cassandræ vera nuntianti non creditum est. Existimata est Ilia Mænas, i. e. Trojana quædam furiis acta contra Trojam. Vaticinata est Paridem fore Trojæ fatum, & ruinam, & equum illabi patriæ funestum.*

Furor) *Ille furor Cassandræ fuisset utilis patriæ, & patri Cassandræ; si fides ipsi habitat fuisset.*

Irrita) *Quum Apollo Cassandræ precibus vaticinandi peritiam concessisset, nescio qua mercede, voti compos fit. Quum promissis non stetisset; Deus indignatus prædixit ei, neminem ipsius vaticiniis fidem habiturum.*

XII.

PROPERTIUS anceps, & dubius, an sit eumdum Tibur, quo per litteras a Sponsa sibi redditas vocabatur. Tandem nullum non subeundum pro futura uxore periculum statuit: speratque, in itinere se tutum fore, & inviolabilem. Si vero moriendum sit; cupit se sepeliri in loco devio, & infrequenti, non circa viam publicam, ut mos erat Romanorum.

DE ITINERE NOCTURNO.

NOX media, & dominæ mihi venit epistola nostræ,
Tibure me missa jussit adesse mora,

Can-

Tibure) *Vulgo* Tivoli, *urbs crebris fontibus irrigua, 16. ab Urbe lapide distat, & aeris temperie commendatissima,*

Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Et timeam audaces in mea membra manus?
At, si hæc distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccarim semel, & totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes,
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrat astra salebras:
Ipse Amor accensas percutit ante faces.
Sæva canum rabies morsus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
Dî faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit adsiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma:
Aut humer ignotæ cumulis vallatus arenæ.
Non juvat in media nomen habere via.

Geminas) *Arx Tiburtina eminebat geminis turribus. Juvenal. sat. 14. Summa nunc Tiburis arce.*

Aniena) *Anio nobilis Italiæ fluvius, irrigat agrum Tiburtinum, & se in Tiberim defert. Vulgo* Teverone.

Scironis) *Scyron olim fuit latro famosus, qui viam obsidebat angustam ab Corintho ad Megaram ducentem, & viatores exutos in mare præcipitabat: hunc Theseus occidit.*

Huic) *Hoc genus hominum fortuna juvat.*

Unguenta) *Sponsa adferet, ubi intefectus sim unguenta, &c.*

XIII.

A BACCHO (cujus se laudes decantaturum pollicetur) auxilium petit, ac suppetias implorat ad solitudines amovendas, curasque propellendas.

AD BACCHUM.

NUNC, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Te quoque enim non esse rudem, testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Accessitus erit somnus in ossa mea;
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae me vigilante ferae:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te, & tua cornua, vivam;
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Ætnaeo fulmine partus,

In.

O Bacche) *Bacchus, qui & Liber pater, Bromius, Lenaus, Lyæus, Dionysius &c. dictus est, fuit Jovis a Semele filius, vini inventor, unde & pro vino ipso sæpius sumi consuevit.*

Lyncibus] *Lynces, tigres, & panthera sunt Baccho dicata. Hoc loco poeta ipsam etiam Ariadnen in cælum fuisse devectam ait, quamquam tantum ejus coronam scribat Catullus.*

Ætneo) *Bis eductus fuit in lucem Bacchus: primum quum mater ejus Semele percussa fulmine, quod in Ætna Cyclopes frabicabantur, abortum ejecit. Secundo quum Jupiter eum jam efformatum, & maturo tempore partus edidit in lucem: unde dicitur bis genitus, & Bimater.*

Indica Nysæis arma fugata choris:
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum:
Pentheos in triplices funera grata greges:
Curvaque, Tyrrhenos, delphinum corpora, nautas
In vada pampinea desiluisse rate:
Et tibi per medium beneolentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis,

Nysæis) *Nyseos choros vocat Satyros, Silenos, ac Mænadas, Bacchi perpetuos socios. Dicitur autem Nysæus Bacchus, quia Nyso cuidam educandus traditus est a Jove.*

Lycurgum) *Dicam Lycurgum insanientem in vites. Hic fuit Rex Thraciæ, qui, quum videret Thraces nimio vino deditos, omnes vites excidi in suo regno jussit, unde fabula: Lycurgum infensissimo odio Bacchum prosecutum fuisse.*

Pentheos) *Gen. græc. Penthei membra discerpta a tergemino grege. Pentheus, quod sacra Bacchi adspernaretur, misere discerptus est a tribus Baccharum gregibus: primum gregem ducebat Agavè, mater Penthei: duos alios Ino, & Autonoe, sorores Agaves: unde Propertius dicit, mortem Penthei fuisse gratam tribus gregibus.*

Tyrrhenos nautas] *Bacchus olim conducebat navem pampinis ornatam, plenam prædatoribus Tyrrhenis ex Icaria insula ad Naxon. At Tyrrheni volebant in Africam Baccum adsportare, ut eum venderent. Hanc ob rem iratum Bacchi numen, serpentes, & alia monstra oculis illorum objecit, qui vel timore, vel furore perciti in mare præcipites exsilierunt, & in Delphinas sunt trasformati.*

Beneolentia flumina) *Et dicam fluvius, & fontes qui in Naxo insula Ægei, una ex Cycladibus, vino fluunt, & beneolent, quos Naxii incolæ potant.*

Laxatis corymbis) *Tuum candidum collum oneratum, i. e. ornatum pendentibus corymbis: & Lydia insula cinget tuos crines. Lydi, seu Mæonii, populi Lydiæ, imprimis usi sunt mitra.*

Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.
Lævis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veſte fluente pedes.
Mollia Dircææ pulſabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent,
Vertice turrigero juxta, Dea magna, Cybelle
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antiſtitis auro
Libatum fundens in tua ſacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico ſpiritus ore tonat.
Tu modo ſervitio vacuum me ſiſte ſuperbo,
Atque hoc ſolicitum vince ſopore caput.

Baſſaricas] *Bacchus dictus eſt Baſſareus a quodam veſtis genere, quæ dicta eſt Baſſara a Thracibus, quæ e pellibus vulpinis conſtabat: id enim lingua Thracia* Baſſara *ſignificat.*

Dircææ) *Dicuntur Thebæ in Bœotia a fonte Dirce, in quem mutata dicitur fuiſſe Dirce, Lyci Regis Thebarum uxor.*

Panes) *Fauni, Satyri, Sileni, Lares, Silvani, qui omnes erant comites, & miniſtri Panis ſilvarum Dei, qui omnes erant pedibus caprinis.*

Vertice turrigero) *Cybele uxor Saturni, fingitur caput turrigerum habere. Cybele enim eadem eſt ac Terra, quæ ab urbibus, & oppidis coronatur. Idæi chori ſunt Idæi miniſtri, ſacerdateſque Cybeles, quæ Idæa vocata eſt, quod in Ida monte Phrygiæ potiſſimum coleretur.*

Pindarico) *Pindarus Græcorum lyricorum princeps, ſpiritus magnificentia, & carminis inimitabilis excellentia celebratur. Vide Horat. lib. 4. od 2.*

MAR.

XIIII.

MARCELLI mortem deflet Propertius, qui filius Octaviae sororis Augusti fuit, & quum Aedilis esset, periit in Bajano secessu, aetatis anno 20. Huic Augustus filiam suam Juliam desponderat. Romani ejusdem obitum vehementer doluerunt. Octavia autem mater nullum flendi finem fecit, atque bibliothecam ad filii memoriam prorogandam construxit. Marcelli quoque nomine Augustus theatrum aedificavit. Iste est Marcellus de quo Virgilius cecinit Lib. 6. Æn. Tu Marcellus eris &c.

IN MARCELLII OBITU.

CLAUSUS ab umbroso qua alludit Pontus averno
  Humida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet & Trojae tubicen Misenus arena,
  Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic, ubi mortales dextra quum quaereret urbes,
  Cymbala Thebano concrepuere Deo;
(At nunc invisae magno cum crimine Bajae,
  Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?)
His pressus Stygiae vultum demisit in undas,

Er-

Averno) *Avernus lacus est Campaniae, Plutoni dicatur, ob antiquis inferorum limen credebatur.*

Humida Bajarum) *Bajae, urbs Campaniae, ad mare sitae, in quarum agro sunt aquae calidae ad voluptatem, & morbos commodae, olim, aeris temperie, & Romanorum civium frequentia, aedificorumque ornamentis celeberrimae.*

Misenus) *Est promontorium, cui nomen dedit Misenus tubicen Æneae, ibidem sepultus. Vid. Virg. 6. Æn. v. 234. Hercules viam construxit in Campania, qua suos boves traduceret: hanc ornavit Augusti tempore Agrippa.*

Hic ubi &c.) *Hic obiit Marcellus, ubi dum Hercules sub potestatem dextera, & armis civitates orbis redigeret; crotala eidem Herculi deo Thebano concrepu-*

Conjugis obſceni pretium Romana popoſcit
  Mœnia, & addictos in ſua regna Patres.
Noxia Alexandria, dolis aptiſſima tellus,
  Et toties noſtro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos:
  Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
Iſſent Phlegræo melius tibi funera campo,
  Vel tua ſi ſocero colla daturus eras.
Scilicet inceſti meretrix Regina Canopi,
  Una Philippæo ſanguine aduſta nota,
Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubin,
  Et Tiberim Nili cogere ferre minas:
Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro,
  Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

Fœ-

Alexandria) *Poeta convertit ſermonem ad Ægyptum, cujus urbes fuerunt Alexandria, & Memphis, in qua fuerunt Pyramides inter orbis miracula. In Ægyptio litore occiſus fuit Pompejus, tot triumphis clarus, quot ſunt terræ partes, ait Cicero pro Cornel. Balbo. Tres triumphos adſerit ei Vellejus, & Plinius. Et Albinus apud Priſcianum.*

Ille, cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte deiſſa patuere.

Phlegræo) *Phlegræum campum vocat Pharſalicum in Theſſalia, ubi cum ſocero ſuo Julio Cæſare Pompejus infauſtis avibus decertavit.*

Regina) *Cleopatra, Regina Canopi, urbis Ægypti, cujus cives moribus erant perditiſſimis: quæ meretrix Cleopatra dicitur, infamiam inuſſiſſe genti Macedonum, a quibus ipſam ortam narrant Hiſtorici omnes:*

Anubin) *Pugnam Actiacam deſignat, qua commiſſos eſſe Romanos, ac Ægyptios deos adſeverat. Anubis deus maximus Ægypti, capite canino effingebatur: unde latrator Anubis.*

Siſtro) *Siſtrum fuit muſicum inſtrumentum Ægyptiorum, quo in tripudiis utebantur, ſicuti tuba Romani.*

Baridos) *Baris navigii genus, quo vehebant Ægypti*

Fœdaque Tarpejo conopea tendere saxo,
Jura dare statuas inter, & arma Mari,
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris:
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis adsiduo lingua sepulta mero.
Septem Urbs alta jugis, toti quae præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.

M Han-

ptii mortuorum cadavera ad sepulcrum. Rostra autem Liburna, sunt Romanorum rostratæ naves, dictæ Liburnæ, a Liburnis Myrici populis.

Conopea] *Cleopatra ausa est tendere fœda tentoria* (padiglioni, tende) *in Tarpeja rupe, i. e Capitolio: ubi erant Statuæ, & tropæa Caji Marii relata de Jugurtha, de Cimbris, ac Teutonis.*

Tarquinii) *Tarquinium Superbum intelligit Poeta, cujus secures, i. e. imperium fractum est a Romanis, quum ejectus fuit. Dicit autem Propertius, si tyranno parendum sit, ferendum sit potius Tarquinium, quam feminam superbam, & impudicam.*

Fugisti) *Ex Actiaco prælio 50. navibus fugientem Cleopatram secutus Antonius, victoriam reliquit Augusto.*

Accepere) *De imagine Cleopatræ intelligendum, ducta in triumphum Romæ cum aspide mordicus ejus brachio inhærente: interim corpus abditam viam mortis attrahebat.*

Tanto cive verenda] *Augusto sospite, femina hæc non tibi, o Roma, metuenda est, neque lingua Antonii imperatoris, perpetuo mero calentis. Tu, quæ vicisti Hannibalem, Syphacem Regem Numidiæ a Scipione captum, & carcere inclusum, & Pyrrhum Epirotarum Regem, de quo M. Curius Dentatus triumphavit.*

Hannibalis spolia, & victi monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
At Decius misso prælia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Et cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc Di condiderunt, hæc Di quoque mœnia servant,
Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem.
Nunc ubi Scipiadæ classes? ubi signa Camilli?
Aut modo Pompejà Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu navita linques,

Ce-

Curtius) *Quum Romanum forum vasto hiatu desedisset, Haruspices dixere, expleri non posse, nisi ea re, qua plurimum posset populus Romanus. Quod de virtute populi Romani M. Curtius interpretatus, equitans in eam voraginem se immisit, & hiatus expletus est.*

Decius) *Decius concitato equo in medios hostes irruit. Liv. lib.* 8.

Coclitis) *De Horatii Coclitis virtut nota est historia.*

Corvus) *Valerium Corvinum intelligit, ita dictum a Corvo, qui ei in auxilium venit, quum contra Gallum provocantem, quem vicit interfecitque, dimicaret.*

Scipiadae) *Scipio Africanus summa celeritate in Africiam classem transmisit, de quo Luceretius:* Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror. *Camillus Gallos Roma expulit: signaque, quæ Romanis ademaverant, recepit. Bosphora neutro genere, ut Menala, Ismara &c.. Duplx est Bosphorus, Thracius, & Cimmerius: utrumque vicit Pompejus.*

Leucadius) *Apollo celebrabit victoriam Augusti, & versam in fugam Antonii classem. Apollo dicitur Leucadius a Leucade in Epiro, ubi templum habuit, quod ornavit Augustus post Actiacam victoriam. Tantum opus una belli dies confecit.*

At tu sive) *Elegiam clausurus poeta, navigantes per mare*

Cæsaris in toto sis memor Ionio.

mare Jonium monet, ut Augusto acceptum referant, quod tuti navigent eo mari, quod Antonius, & Cleopatra armis suis infestabant, antequam delerentur.

X.

POSTHUMUM quemdam incusat, qui ductus avaritia conjugem suam Gallam reliquerat, ut Augustum contra Parthos sequeretur: carpitque hominem, quod pluris faceret pecunias, quam uxorem, quæ castitate, & pudicitia Penelopem vinceret.

IN POSTHUMUM.

POSTHUME, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Gallâ multa rogante tuâ?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen injectâ tectus, vesane, lacernâ,
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tuâ Medæ lætentur cæde sagittæ,

M 2 Fer-

Tantine) *Tanti ne facies laudem de Parthis victis, ut Gallam tuam enixe te precantem, ne desereres, non exaudieris*

Lacerna) *Vestis militaris genus; unde populus urbanus togatus; castrenses vero, seu militares,* lacernati *vocabantur.*

Araxis) *Fluvius Armeniæ Majoris, qui in Caspium se exonerat. Solenne militibus fuit aquam galea potare. Consule pag.* 180.

Fama) *Galla interea ob vanam gloriam tuam contabescet, ne hæc expeditio tibi sit luctuosa.*

Medæ) *i. e. Parthæ. Parthi enim insignes sagittarii. Ne ferreus cataphractus gaudeat equo suo aurato*

Ferreus aurato neu cataphractus equo:
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in castâ felix, ô Posthume, Gallâ,
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas: Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittet,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Posthumus alter erit, miranda conjuge, Ulysses:
Non illi longae tot nocuere morae.
Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circae fraudes; lotosque, herbaeque tenaces,
Scyllaque, & alterna scissa Charybdis aqua:
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos:
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææ flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies:
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum:
Sirenum surdo remige adisse lacus:
Et veteres arcus leto renovasse Procorum,

Er-

Ulysses] *Enumerat poeta Ulyssis labores, erroresque, qui non nocuerunt eidem apud Penelopen constantem: ita apud Gallam pudicam expeditio Posthumi, &c. Hos Ulyssis errores jam supra descripsit Tibullus pag.* 220.

Ismara, Calpe) *In Hispaniam ultimam navigavit Ulysses, unde urbs Ulysippo.* Lisbona. *Vide pag.* 220.

Lampeties) *Lampetie Phœbi filia: dicitur pavisse boves patris in Sicilia; quos Ulyssis socii furati sunt.*

Ææ) *Circes sic adpellata ab Ææa insula, quam habitabat. Hic autem Propertius intelligit de Calypso Nympha, nam jam dixit de Circe. Licet Homerus domum Calypsus adserit fuisse Ogygiam: sed circa fretum Siculum plures fuere insulæ nomine Ææ.*

Veteres arcus) *Qui toto errorum Ulyssis tempo-*

ra

Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor,
Vincit Penelopes Laelia Galla fidem.

re jacerunt inutiles; tamen contra Procos Penelopes, quos omnes occidit, exercuit. Vide Odyss. lib. 21. & 22.

XI.

MULIERUM avaritiam insectatur, & luxum, quem nimium libere grassari mores sinebant.

IN MULIERES.

CERTA quidem tantis caussa est manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit, e Rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,

Cavis) *Narrant, Indicas formicas ex terræ cavernis aurum egerere. Metalla posuit pro fodinis.*

Concha Erycina) *Dicitur concha Erycina a Venere, quæ concha vecta est in Cytheram, statim ac e spumabunda mari orta fuit. Erycina dicitur Venus ab Eryce, Siciliæ monte, in quo religiosissime colebatur.*

Cadmea Tyros) *Quia nimirum Cadmus filius fuit Agenoris Regis Tyriorum. Tyrus conchyliis, & purpura nobilissima.*

Arabs) *Pastor dicitur, quod armenta summas divitias æstimaret, uti de Jobo in sacris Codic. Arabes metunt, & colligunt omne genus aromatum, & unguentorum.*

Icarioti) *i. e. O Penelope: quæ fuit filia Icari.*

Nepotum) *Nepotes censebantur luxuriosæ vitæ homines.*

Ma-

Nec fuerat sacras pœna videre Deas;
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux Aries saturas ipse reduxit oves.
Diique, Deæque omnes, quibus est tutela per agros
Præbebant vestris verba secunda focis.
Et leporem, quicumque venis, venaberis hospes,
Et si forte meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:
Sive petas calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro veniala jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnassi sparsit in arma nives.
Te scelus accepto Thacis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,

Pœna) *Alludit ad fabulam Actæonis, cui pœna inflicta, quod Dianam conspexisset.*

Idæi) *Idæus Pastor est Paris, nam a Pastoribus in Ida monte nutritus est, & pavit ipse greges: in Paridis aulam cornutus aries reducebat oves saturas.*

Brennum) *Tangit historiam Gallorum, qui duce Brenno ducti prædæ cupiditate templum Apollinis Delphici invaserunt (qui dicitur Pythius, a Pythone serpente interfecto, & Intonsus, quia semper juvenis) Quare Deus hic iratus fulminibus, & concusso Parnassi vertice, & effusis nivibus a proposito eos disjecit.*

Thracis) *Polymnestor fuit Rex Thracum: huic genero suo Priamus Polydorum filium cum magno auri pondere tradidit educandum: sed Rex auri potiundi cupiditate Polydorum obtruncavit: unde merito appellatur scelestus. Æn 3.*

Eriphyla) *Amphiaraum conjugem in bellum Thebanum ire detrectantem prodidit Eriphyla, accepto monili aureo ab Argia, Polynicis uxore: & Amphiaraus hiatu terræ Thebis cum curru absumtus est.*

Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus haruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mœnas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti:
Experta est veros irrita lingua Deos.

Certa loquor) *Licet certa dicam, non mihi fides habetur, sicuti olim Cassandræ vera nuntianti non creditum est. Existimata est Ilia Mænas, i. e. Trojana quædam furiis acta contra Trojam. Vaticinata est Paridem fore Trojæ fatum, & ruinam, & equum illabi patriæ funestum.*

Furor) *Ille furor Cassandræ fuisset utilis patriæ, & patri Cassandræ; si fides ipsi habitat fuisset.*

Irrita) *Quum Apollo Cassandræ precibus vaticinandi peritiam concessisset, nescio qua mercede, voti compos fit. Quum promissis non stetisset; Deus indignatus predixit ei, neminem ipsius vaticiniis fidem habiturum.*

XII.

PROPERTIUS anceps, & dubius, an sit eumdum Tibur, quo per litteras a Sponsa sibi redditas vocabatur. Tandem nullum non subeundum pro futura uxore periculum statuit: speratque, in itinere se tutum fore, & inviolabilem. Si vero moriendum sit; cupit se sepeliri in loco devio, & infrequenti, non circa viam publicam, ut mos erat Romanorum.

DE ITINERE NOCTURNO.

NOX media, & dominæ mihi venit epistola nostræ,
Tibure me missa jussit adesse mora,

Can-

Tibure) *Vulgo* Tivoli, *urbs crebris fontibus irrigua, 16. ab Urbe lapide distat, & aeris temperie commendatissima,*

Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lymphæ Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Et timeam audaces in mea membra manus?
At, si hæc distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccarim semel, & totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes,
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrat astra salebras:
Ipse Amor accensas percutit ante faces.
Sæva canum rabies morsus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit adsiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma:
Aut humer ignotæ cumulis vallatus arenæ.
Non juvat in media nomen habere via.

Geminas) *Arx Tiburtina eminebat geminis turribus. Juvenal. sat. 14. Summa nunc Tiburis arce.*

Aniena) *Anio nobilis Italiæ fluvius, irrigat agrum Tiburtinum, & se in Tiberim defert. Vulgo* Teverone.

Scironis) *Scyron olim fuit latro famosus, qui viam obsidebat angustam ab Corintho ad Megaram ducentem, & viatores exutos in mare præcipitabat: hunc Theseus occidit.*

Huic) *Hoc genus hominum fortuna juvat.*

Unguenta) *Sponsa adferet, ubi intefectus sum, unguenta, &c.*

XIII.

A BACCHO (cujus se laudes decantaturum pollicetur) auxilium petit , ac suppetias implorat ad solitudines amovendas , curasque propellendas .

AD BACCHUM.

NUNC, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Te quoque enim non esse rudem, testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Accersitus erit somnus in ossa mea;
Ipse feram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae me vigilante ferae:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te, & tua cornua, vivam;
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Ætnaeo fulmine partus,

In.

O Bacche) *Bacchus , qui & Liber pater , Bromius, Lenaus , Lyæus , Dionysius &c. dictus est , fuit Jovis a Semele filius , vini inventor , unde & pro vino ipso sæpius sumi consuevit.*

Lyncibus] *Lynces , tigres , & panthera sunt Baccho dicatæ . Hoc loco poeta ipsam etiam Ariadnen in cælum fuisse devectam ait , quamquam tantum ejus coronam scribat Catullus .*

Ætneo) *Bis eductus fuit in lucem Bacchus : primum quum mater ejus Semele percussa fulmine , quod in Ætna Cyclopes frabicabantur , abortum ejecit . Secundo quum Jupiter eum jam efformatum , & maturo tempore partus edidit in lucem : unde dicitur bis genitus , & Bimater .*

Indica Nysæis arma fugata choris :
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum :
Pentheos in triplices funera grata greges :
Curvaque, Tyrrhenos, delphinum corpora, nautas
In vada pampinea desiluisse rate :
Et tibi per mediam beneolentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis,

Nysæis) *Nyseos choros vocat Satyros, Silenos, ac Mænadas, Bacchi perpetuos socios. Dicitur autem Nysæus Bacchus, quia Nyso cuidam educandus traditus est a Jove.*

Lycurgum) *Dicam Lycurgum insanientem in vites. Hic fuit Rex Thraciæ, qui, quum videret Thraces nimio vino deditos, omnes vites excidi in suo regno jussit, unde fabula : Lycurgum infensissimo odio Bacchum prosecutum fuisse.*

Pentheos) *Gen. græc. Penthei membra discerpta a tergemino grege. Pentheus, quod sacra Bacchi adspernaretur, misere discerptus est a tribus Baccharum gregibus : primum gregem ducebat Agavè, mater Penthei : duos alios Ino, & Autonoe, sorores Agaves : unde Propertius dicit, mortem Penthei fuisse gratam tribus gregibus.*

Tyrrhenos nautas] *Bacchus olim conducebat navem pampinis ornatam, plenam prædatoribus Tyrrhenis ex Icaria insula ad Naxon. At Tyrrheni volebant in Africam Baccum adsportare, ut eum venderent. Hanc ob rem iratum Bacchi numen, serpentes, & alia monstra oculis illorum objecit, qui vel timore, vel furore perciti in mare præcipites exsilierunt, & in Delphinas sunt trasformati.*

Beneolentia flumina) *Et dicam fluvius, & fontes qui in Naxo insula Ægei, una ex Cycladibus, vino fluunt, & beneolent, quos Naxii incolæ potant.*

Laxatis corymbis) *Tuum candidum collum oneratum, i. e. ornatum pendentibus corymbis : & Lydia insula cinget tuos crines. Lydi, seu Mæonii, populi Lydiæ, inprimis usi sunt mitra.*

XIIII.

MARCELLI mortem deflet Propertius, qui filius Octaviæ sororis Augusti fuit, & quum Ædilis esset, periit in Bajano secessu, ætatis anno 20. Huic Augustus filiam suam Juliam desponderat. Romani ejusdem obitum vehementer doluerunt. Octavia autem mater nullum flendi finem fecit, atque bibliothecam ad filii memoriam prorogandam construxit. Marcelli quoque nomine Augustus theatrum ædificavit. Iste est Marcellus de quo Virgilius cecinit Lib. 6. Æn. Tu Marcellus eris &c.

IN MARCELLII OBITU.

CLAUSUS ab umbroso quà alludit Pontus averno
Humida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet & Trojae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic, ubi mortales dextra quum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere Deo;
(At nunc invisæ magno cum crimine Bajae,
Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?)
His pressus Stygiae vultum demisit in undas,

Er-

Averno) *Avernus lacus est Campaniæ, Plutoni dicatur, ab antiquis inferorum limen credebatur.*

Humida Bajarum) *Baiæ, urbs Campaniæ, ad mare sitæ, in quarum agro sunt aquæ calidæ ad voluptatem, & morbos commodæ, olim, aeris temperie, & Romanorum civium frequentia, ædificorumque ornamentis celeberrimæ.*

Misenus) *Est promontorium, cui nomen dedit Misenus tubicen Æneæ, ibidem sepultus. Vid. Virg. 6. Æn. v. 234. Hercules viam construxit in Campania, qua suos boves traduceret: hanc ornavit Augusti tempore Agrippa.*

Hic ubi &c.) *Hic obiit Marcellus, ubi dum Hercules sub potestatem dextera, & armis civitates orbis redigeret; crotala eidem Herculi deo Thebano concrepue-*

Errat & in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus,
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia Magnis
Gemmea sint ludis. Ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes: huc primus, & ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære;
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

Ni-

puerunt. Hercules enim Thebis Bœotiæ natus est. Dicuntur cymbala juxta Bajas huic Deo concrepuisse; nam in campis Phlegræis Gigantes devicit.

Hic pressus] *His aquis pressus Marcellus &c.*

Focos) *Non profuit Marcello arcto adfinitatis vinculo conjunctum esse cum Augusto, qui ei Juliam desponderat.*

Vela theatro) *Marcellus Ædilis theatrum, & forum velis inumbrasse, ut salubrius litigantes consisterent, narratur.*

Maternas) *Extollitur pietas Marcelli, quod omnem ædilitatis suæ curam Octaviæ matri commendarit.*

Stantiaque] *In Theatro spectatores adsurgere solebant honoris caussa plausum daturi. Cic. ad Att l. 2. ep. 19. Stantes Curioni plauserunt.*

Attalicas) *Attalicæ vestes sunt aulæa pretiosa auro, argentoque intertexta, ab Attalo dicta, Rege Pergami, qui omnes mortales pretiosæ hujus suppellectilis magnificentia superavit.*

Magnis) *Magni ludi sunt, qui in honorem Jovis fiebant, deorum omnium principis.*

Ignibus ista dabis] *Nam cum mortuis omnia, vel gemmas, in rogum injiciendi mos erat.*

Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridæ magno quum stetit alter amor.
At tibi, Nauta, pias hominum qui trajicis umbras:
Hunc animæ portent corpus inane tuæ:
Qua Siculæ victor telluris Claudius, & qua
Cæsar ab humana cessit in astra via.

Nirea) *Neque Nireus, quamvis formosissimus, qui fuit Rex Naxi: neque Achilles, quamvis fortissimus neque Crœsus, licet ditissimus, qui fuit Rex Lydiæ, mortem effugerunt.*

Pactoli) *Pactolum fluvium Lydiæ aureas arenas trahere fabulantur.*

Hic olim ignaros) *Similis fletus pæne exhausit funeribus Achivos nescientes, quod novus amor tam magno pretio constitit Agamemnoni. Poeta designare videtur cladem Græcorum, quum Atrides, i. e. Agamemnon, eripuit Achilli Briseidem, quæ dicitur* alter amor, *unde Achilles indignatus amplius contra Trojanus decertare noluit: tandem ei Briseis restituta fuit.*

Nauta) *O Charon, animæ tuæ, i. e. umbræ tuæ portent in eum locum Marcelli inane corpus, per quem proavus ejus Claudius Marcellus, qui Siciliam omnem expugnavit, & Julius Cæsar in deorum numerum relatus, in cælum discesserunt.*

X V.

MULIERUM perversitatem longe præstare virorum nequitiæ ostendit.

IN MULIERES.

OBJICITUR toties a te mihi nostra libido;
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris,
Ne-

Nostra) *Idest virorum.*
Vobis) *Idest feminis.*

Nescitis captae mentis habere modum.
Flama per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput:
Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo;
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci
Induit abiegnae curnua falsa bovis.
Testis Thessalico flagrans Salimonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit, patria succensa senecta,
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medea referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit amor?
Quidve Clytemnestræ, propter quam tota Mycenis
In-

Syrtes) *Sunt duo sinus in Lybico mari navigantibus periculosissimi.*

Malea) *Promontorium est Laconiæ, quod adversis ventorum flatibus navigationem efficit periculi plenam: unde proverbium: Quum ad Maleam deflexeris, domesticos oblivisscere.*

Cretaei) *Pasiphae, Minois Cretæ Regis uxor, amore tauri, sive juvenci ardebat: at fastus, seu repulsam sæpe perpessa, tandem, quum se in abiegna, seu lignea vaccæ figura inclusisset, peperit Minotaurum.*

Salmonis) *Tyro, filia Salmonei, ob amorem fluvii Enipei, qui est in Thessalia, in ipsum se demersit.*

Myrrha) *Fuit Cinyræ Cypriorum Regis filia. Quum pater ipsam, ob nefandum crimen in patrem ipsum, gladio persequeretur in Arabiam fugientem, deorum miseratione in sui nominis arborem conversa est.*

Medeæ) *Quid Medea referam scelus? Medea, Regis Colchorum filia, Jasonis uxor, quam quum Jason repudiasset, Creusamque superduxisset, furore correpta geminos filios, quos ex Jasone pepererat, in ultionem ante patris oculos jugulavit: & ita matris dolorem placavit amor filiorum nece.*

Clytemnestræ) *Quidve Clytemnestra scelus referam?*
Hæc

Infamis sturpo stat Pelopea domus?
Tuque o Minoâ venumdata Scylla figurâ,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise, tuas portas frauda reclusit amor.
At vos, innuptæ, felicius urite tædas;
Pendet Cretæâ tracta puella rate.
Non tamen immerita Minos sedet arbiter Orci.
Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

Hæc fuit Mycenarum regis uxor, & Agmemnonem virum suum e Troja reversum Ægisto adultero adjuta interfecit. Dicitur tota Pelopea familia in urbe Mycenis adulteriis infamis: omnes fere ejus domus, & viri, & mulieres turpibus flagitiis famosi: unde in proverbium abierunt Pelopidæ. Nexus Pelopidarum

Scilla.) *Tu, o Scylla, vendidisti te ipsam ob formam Minois, hostis patris tui Nisi. quum spoliasti regnum paternum coma purpurea: quam comam spopondisti dotem &c. Et, o Nise, amor reclusit portas urbis tuæ. Fatum totius regni Nisi situm erat in purpureo ejus capillo.*

Urite) *Lætioribus auspiciis nubite. Nubentibus tædas præferebant Veteres.*

Puella) *Scylla, puella Cretensis, ob nuper dictum crimen projecta fuit in mare e puppi pedibus vincta, unde trahebatur quidem, non vehebatur.*

Minos) *Jure Minos est judex inferorum æquus, & justus; quum hanc Scillam proditricem a se submovit: & quamvis esset Nisi hostis, ac victor; attamen de capilli purpurei avulsione ultus est.*

CV.

XVI.

Curarum aestu vexatus Poeta dicit, se caelum mutare cogi, Athenasque proficisci, ut loci mutatione curae minuantur, quae, quamdiu Romae moratur, in diem crescere consueverunt.

ATHENARUM ITER.

MAGNUM iter, ad doctas proficisci cogor Athenas;
Ut me longa gravi solvat amore via.
Omia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ipse Deus.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
Remorumque pares ducite sorte vices.
Jungiteque extremo felicia lintea malo.
Nam liquidum nautis aurea secundat iter.
Romanae turres, & vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella, vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes?
Cogar & undisonos nunc prece adire Deos?
Deinde per Jonium vectus quum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua;
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmus qua terris arcet utrimque mare.
Inde

Adriaci) *Indignatur Propertius, quippe qui, contra quod statuerat, navigare cogatur. Dixerat enim alibi: At tu saeve Aquilo numquam mea vela videbis. Adriacum mare, vulgo* Golfo di Venezia.

Jonium) *Ab Adriatico incipit, & inter Siciliam Graeciam, Macedoniam, Epirum, Achaiam &c. interfusum extenditur.*

Lechaeo) *Lechaeum est portus urbis Corinthi: constat enim geminos portus fuisse Corinthi, Lechaeum, & Cenchreum: ita ut, qui ex Italia in Graeciam navigant, utantur Lechaeo: qui vero ex Asia, Cenchreo: ideo apud Horatium, Corinthus appellatur* bimaris, *lib. 1. od. 7.*

Isthmos] *Significatur Corinthiacus, i. e. angustum* illud

Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis:
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales:
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae, seu magis aere manus:
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

illud terrae intervallum inter duo maria, Ægeum, & Jonium: in ejus intervalli faucibus sita fuit Corinthus.

Piraei) *Piraeus Portus fuit Athenarum 400 navium capax.*

Theseae) *Thesea via est, quae Piraeum portum Athenis stadiorum 40 spatio jungebat. Hanc viam Theseus latronibus purgavit: unde dicta est Thesea.*

Platonis) *Plato Academicae sectae princeps.*

Epicure) *Epicurus omnium primus hortos Athenis instituit, ubi docuit: antea enim mos non erat, in oppidis haberi rura.*

Menandre) *Menander Atheniensis, Comicus poeta, comoedias 80 scripsit: tanto fuit in pretio, ut magnis honoribus, & divitiis invitatus fuerit ab Ægypti Regibus. Elogium ejus profert Quintil. lib. 10. cap. 1. Instit. Orat.*

Sive &c.) *Manus exactae ebore*. Sculture di avorio. *Manus exactae aere*. Sculture di bronzo. *Phidias Athensis Minervam fecit ex ebore eximiae pulcritudinis; alteram vero ex aere.*

TUL.

XVII.

TULLUM amicum diutissime peregrinantem Propertius revocat in urbem Romam, qua nihil pulcrius, & mirabilius toto orbe terrarum esse demonstrat. Hæc elegia ceteris difficilior ob bene multas fabellas, quibus unusquisque versus ornatur.

AD TULLUM.

FRIGIDA tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
  Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindyma ubi Argivæ sunt templa sacra Cybellæ,
  Raptorisque tulit quæ via Ditis equos.
Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
  Et desiderio, Tulle, movere meo;

Tu

Tullum) *Quis fuerit ille Tullus, incertum est, nisi forsan fuerit frater L. Volcatii Tulli, qui collega fuit Augusti in secundo Consulatu.*

Cyzicus) *Cyzicus, urbs frigida, seu inamena Asiæ Minoris; mœnibus tamen, arce, turribus marmoreis, & armis inclita.*

Propontiaca) *Isthmus adluitur Propontiacis aquis. Cyzicus enim intra Propontidem sita angusto terræ spatio in mare porrecto adhærebat continenti. Propontis autem est totum illud mare, quod ab Hellesponti angustiis ad Thracium usque Bosphorum protenditur.*

Dindyma) *Dindymus mons urbi Cyzico imminet. in hoc monte templum fuit deæ Cybeles ab Argivis ædificatum: unde Cybeles appellata Argiva. Hic versus Propertii vario modo legitur a variis.*

Raptorisque) *Propertius adserit, Ditem, seu Plutonem per hanc viam, i. e. circa Propontida rapuisse curru Proserpinam: licet alii fere omnes eam in Sicilia raptam fuisse referant.*

Helles &c) *Urbes Hellesponti. Hellespontus autem hodie est.* lo stretto di Gallipoli, *ita dictus ab Helle, Athamantis Regis Thebarum filia, quæ novercam fugiens, Pontumque trajiciens in mare decidit.*

Movere) *Meique desiderio teneris.*

Tu licet adspicias cælum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Perseâ Phorcydos ora manu,
Geryonae stabula, & luctantum in pulvere signa
Herculis, Antaeique, Hesperidumque choros:
Tuque tuo Colchon propellas remige Phasin,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis, Argoa natat inter saxa columba.

In

Atlanta) *Atlas Japeti, & Clymenes filius, Rex Mauritaniæ, magnus Astronomus, sphæramque primus invenisse dicitur: unde cælum humeris sustinere fingebatur.*

Phorcydos) *Phorcys est Medusa, Gorgonis; cujus caput amputatum est a Perseo. Gorgones fuerunt tres filiæ Phorci, a quo Phorcydas dictæ sunt.*

Geryone) *Geryon Rex fuit Hispaniæ, quem tricorporem, seu tricipitem fuisse fabulati sunt: hunc Hercules interfecit, & ejus boves innumeros abegit in Græciam.*

Antaeique) *Si statuas adspicias Herculis, & Antæi pugnantium, & vestigia in pulvere impressa &c. Antæus, Terræ filius, hospites, ut secum decertarent, cogebat, quos in lucta deinde enecabat. Plinius lib. 3. cap. 8. refert, ab Hercule Antæum a terra sublimem oppressum fuisse.*

Hesperidum) *Hesperides fuerunt tres sorores, hortosque habebant nemore aurifero pretiosos, quos pervigil servabat draco: hunc Hercules interfecit, pomaque abstulit. Poeta dicit, quod in his hortis Hesperides choreas agerent.*

Colchon) *Atque Tu Colchicum Phasin impellas tuo remige. Phasis est fluvius maximus Colchidæ regionis, ex Armenia in Euxinum illabens.*

Peliacæque) *Peliaca trabs est navis Argo, quæ Argonautas a Thessalia ad Colchidem duxit ad vellus aureum.*

Argoa) *Argonautas monuerat Phineus, ut columbam, quam eis viæ ducem dederat, a Symplegadas insulas emitterent: quam ab Argo vocat Argoam*

sen-

In faciem proræ pinus adacta novæ;
Et qua Gygaei visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias;
Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat illa manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Marcius humor opus.
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,

Po-

sententia poetæ est: Ito, qua parte rudis pinus adacta, i. e. extructa in faciem, in formam scilicet navis recentis fertur per cautes, duce Argoa columba. Hæc saxa sunt Symplegades insulæ, quæ procul videntibus apparent cautes, & scopuli.

Caystri) *Cayster fluvius Lydiæ, qui dicitur Gygæus, a Gyge Lydorum quondam Rege, & in Jonium illabitur. Commentatur amœnitas regionis illius & urbium, unde dicitur* visenda:

Septenas) *Fluvius unus, qui in septem vias, seu alveos divisus, cursum moderatur. Fortasse Nilum intelligit, vel Gangem, qui septem ostiis in mare Orientale influit.*

Romæ &c.] *Roma idonea bello magis, quam inferrendæ injuriæ: tuam historiam fama non erubescit.*

Anio Tiburne] *De Aniene Tiburtino, sive Tiburno (quia Tibur adluit, & in Tiberim illabitur) dictum est sæpe. Vulgo* Teverone.

Clitumnus) *Clitumnus est Umbriæ fluvius, cujus aqua pota boves facit candidos.*

Trames) *Hic est pro silva.*

Marcius) *De aqua Marcia dictum est elegiis superioribus. Pag. 198., & 245.*

Albanusque) *Juxta Albam est nemus, & lacus Albanus. L. lib. 5, cujus aqua quondam intumescens Vejorum expugnationem præsagiit. Nemorensis lacus dicitur socius Albani, quia ab iisdem fontibus oritur.*

Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedae resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parante suo.
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae,
Nec solvit Danaas subdita cerva rates.

Cor-

Lympha) *Hæc aqua est fons Juturna, quam bibit Cylarus Pollucis equus; erat autem ægris salubris. Duplex erat Juturnæ fons, alter in agro Latino in Numicum influens, alter in Velabro.*

At non) *Huc usque laudavit Romanam regionem a propriis commodis; nunc eamdem laudat ab incommodis, quæ non habet.*

Italia portentis) *In mari Italo non visuntur immanes belluæ, quibus expositæ olim fuerunt Hesione, & Andromede.*

Andromedae] *Andromede, Cephei Regis Æthiopum filia, ob matris superbiam, quæ Nereidas omnes pulcritudine superare gloriabatur, ab nymphis saxo adligata, & monstris marinis exposita, a Perseo liberata est, & nupta.*

Phœbe] *Sol fingitur ad Auroram rediisse, ne cerneret cœnam Thyesteam, in qua filium suum ipsi Thyesti Atreus comedendum adposuit. Item Progne epulandum proprium filium Ityn Tereo dedit. Non times Ausonias dapes, i. e. in Ausonia, seu Italia.*

In caput ignes) *De fato Meleagri fabellam attingit. Nato Meleagro, Parcæ stipitem flammis imposuerunt dicentes: Tamdiu Meleagrum victurum, quamdiu stipes in igne duraret. Althæa mater arreptum stipitem adservavit diligentissime. Althea vero, quum accepisset fratres suos a Meleagero interfectos, doloris impatiens stipitem illum in ignem injecit, quo exusto Meleager etiam absens exustis intestinis consumtus est: itaque mater nato suo paravit exitium.*

Bacchæ) *De Bacchis, & Pentheo. Vid. pag.* 220.

Nec solvit) *Attingit fabulam Iphigeniæ, filiæ A-*

ga-

Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove.
Arboreasque cruces Scinis, & non hospita Grajis
Saxa, & curvatas in sua fata trabes.
Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima sedes:
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, & venturæ conjugis aptus amor.

gamemnonis, quæ quum immolanda esset ad placandos ventos, qui Græcam classem in Aulidis portu detinebant, cerva loco Iphigeniæ sacrificio supposita est: quo facto ventus adflavit secundus.

In pellice Juno] *Io filia Inachi, Regis Argivorum, Jovi nupta. Hæc in vaccam conversa est Junonis odio, & adeo fuit agitata, ut numquam posset consistere, donec formam priorem reciperet: qua recepta in Ægypto, Isis dici cœpta, & consecuta est divinos honores. Romæ templum habuit in Campo Martio.*

Scinis) *Latro fuit famosissimus, qui Corinthiacum Isthmum infestabat, duosque arbores flectebat, quibus simul flexis homines adligabat, utraque arbore deinde in sublime obnitente, eorum membra discerpebantur. Cruces hic posuit Poeta pro quovis instrumento, quod cruciet.*

Non hospita Grajis) *Saxa Scyronia a latrone Scyrone Megarensi sic dicta, qui viatores ab his saxis in mare præcipitabat.*

Curvatas) *His ultimis verbis denotat poeta, Theseum eadem omnino pœna affecisse Scinin latronem, qua & ipse alios affecerat. Hæc omnia flagitia, quæ fuerunt apud Græcos, scilicet Meleager interfectus a matre: ab Agave filius Pentheus discerptus in frusta: Iphigenia virgo mactata &c. feminæ in vaccas mutatæ, latrones grassantes &c. arbores flexæ in sui ipsius perniciem, Romæ non exstant, nec in Italia audiuntur.*

Honos] *Hic tibi tractandi sunt magistratus, prout dignitas gentis tuæ.*

Ad eloquium cives) *æsto sunt cives ad audiendam eloquentiam tuam, vel quos facundia tua adjuvare possis.*

DE

XVIII.

DE amissis pugillaribus, in quibus res non exigui momenti scribere consueverat, queritur: eique, qui repertos sibi retulerit, præmia pollicetur.

DE AMISSIS PUGILLARIBUS.

ERGO tam doctæ nobis periere tabellæ?
  Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
  Qui non signatas jussit habere fidem.
Non illas fixum caras effecerat aurum:
  Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque, mihi semper mansere fideles,
  Semper & effectus promeruere bonos.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avari:
  Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas siquis mihi retulerit, donabitur auro.
  Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hæc aliqua propone columna:
  Et dominum Exquiliis scribe habitare tuum.

Qui &c.] *Etsi illæ tabellæ non essent sigillo munitæ usus fecit, ut fides eis haberetur: detritæ enim erant & manibus meis veluti consumtæ.*

Rationem) *In his tabulis quispiam expensas avari hominis nunc describit. Ephemerides hic sunt diaria rationum, seu expensarum diurnarum.*

Ligna) *Ejusmodi tabulæ ex arboris corticibus componebantur.*

Columna) *Illa proponi columnis dicebantur, quæ omnium oculis, ut conspicerentur, exponebantur. Romæ erant plures hujusmodi columnæ: Columna Aurea in foro Romano, Lactaria in foro Olitorio, Mevia in Circo &c.*

Exquiliis) *Exquiliæ mons est urbis Romæ, qui & Exquilinus: est nunc in ejus vertice Basilica S. Mariæ Majoris. Propertius in eo colle habitabat, utpote aeris salubrioris. Horat. sat. 8. lib. 1. Nunc licet Exquiliis habitare salubribus.*

SEXTII AURELII PROPERTII UMBRII

ELEGORUM LIBER IIII.

I.

OMISSIS ludicris rebus, ad res graves, ac serias stilum convertit poeta: blandeque quasi peregrinum quemdam compellans, altiusque repetens urbis Romæ primordia, priscorum Romanorum vitam, moresque, ac ritus rusticanos describit. Deinde Vatem quemdam, seu Astrologum inducit, a quo se fingit nes futuros edoctum fuisse, & a scribendo carmine heroico deterritum, quippe qui non sit ad hoc idoneus.

AD HOSPITEM DE ROMA:

HOC quodcumque vides, hospes, quam maxima Roma est;
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo;
Evandri profugæ procubuere boves.

Fi-

Palatia Phœbo) *Templum Apollinis in Palatino monte erectum fuit ab Augusto post victoriam Actiacam, seu post devictum Antonium: idea dicitur Navali Phœbo, quod navalis fuit victoria:*

Evandri) *Evander fuit ex Arcadia. Quum casu patrem occidisset, avito regno pulsus in Italiam venit: pulsisque Aboriginibus populis ea loca tenuit, ubi postea Roma condita est.*

Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa:
Nec fuit opprobrio facta fine arte casa.
Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat:
Et Tiberis nostris advena bobus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit; olim
Unus erat fratrum, max ma regna, focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro:
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere Divos;
Quum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia feno,

N 2 Qua-

Fictibus Deis) *Ex fictilibus simulacris templa aurea in hanc majestatem excreverunt.*

Nuda de rupe) *Jupiter a Tarpejo monte nudo, scilicet sine templo, & ædificiis tonabat: & Tiberis fluvius peregrinus erat nostris bobus.*

Gradibus) *Paullatim domus Remi, idest Roma, se sustulit.*

Centum) *Senatores creavit Romulus, quos Patres vocavit, quorum posteri Patricii dicti sunt.*

Vela theatro) *De velis in theatro. Vid. pag.* 300.

Pulpita) *Pulpitum locus est, ubi lector positus ab omnibus conspici, & audiri potest. Pulpita ea tempestate non olebant crocos, qui deinde spargi solebant in ludis solennibus.*

Pendula) *Plebs attenta in propriis sacris contremiscebat.*

Palilia) *Annua Palilia celebrabantur congerendo feno: & stipulas, ignemque magnum accensum transiliebant, credentes ita sese expiari: dicta sunt a Pale Dea pastorum: dies festorum hujusmodi erat* 11. *Kal. Majas, natalis urbis Romæ. Adde, quod Palilia sacrificia lustrabantur sanguine equino: uti in sacrificiis lustri quinquennalibus suffimen erat cum sanguine caudæ equinæ, quæ decurtabatur: unde* lustra curto equo novari, *ait Propert.* Lustrum *opus erat Censorum, qui completo quovis quinquennio populum lustrabant.*

Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci:
Pastor & ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator:
Unde Licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis intextis miles radiabat in armis:
Miscebant usta prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo:
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Titiens, Ramnesque viri, Luceresque coloni:
Quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Quip-

Asellis) *Vesta tunc inops gaudebat asellis panibus coronatis: & curru ad templa ducebantur sacra.*

Compita) *Festa Compitalia erant Laribus, eorumque matri Maniæ sacra quibus porci, sicuti & Cereri, & Telluri, immolabantur.*

Pellitus) *Olim agricolæ in suis festis solennibus induti pellibus, scuticas, & lora e pellibus caprinis compacta agitabant, & obvios quosque verberabant.*

Lupercus) *Lupercalia festa quotannis celebrabantur diis agrestibus, ut lupos arcerent. Sacerdotes sacrorum dicebantur Luperci, qui per maximam licentiam obviis quibuscumque infligentes flagella discurrebant: unde Licens Lupercus: qui quidem dicitur etiam Fabius nam Romulus Fabium quemdam sacris hisce præposuit.*

Lucmo &c.) *Lucmo, sive Lucumo, fuit unus e Tuscorum Regibus, qui contra Romanos pugnavit, a quo Luceres dicti sunt. Ubi primum constitutus est populus Romanus; statim divisus est in Ramnenses a Romulo in Tatienses a Tatio, inque Luceres a Lucumone. Dicitur Lucmo* galeritus *a quodam pilei genere, quo utebantur veteres Romani. Fixit prima pretoria: nam ipse Lucmo tabernaculum quoddam constituit, in quo esset dux, seu imperator in castris: adpellavitque pratiorum, quia magistratus omnis, cui parebat exercitus, Prætor vocabatur.*

Tatio) *Tatius Rex fuit Sabinorum, cum quo Romulus imperium sociavit.*

Quattuor) *A parvis initiis ita rem suam auxit Ro-*

ma-

Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillæ,
  Et qui nunc nulli, maxima turba, Gabi.
Et stetit Alba potens albæ suis omine nata,
  Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
  Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti Troja Penates.
  O quali vecta est Dardana puppis ave?
Jam bene spondebant tunc omina, quod mihi illam
  Læserat abiegni venter apertus equi;
Quum pater in nati tremulus cervice pependit;
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
  Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
  Felix terra tuos cepit, Iule, Deos.

mulur, ut quadrigis albis invectus sit in Urbem, triumphum agens de Centuensibus, de Fidenatibus, de Camerinis, & non semel de Vejentibus.

Bovillæ) *Roma erat minor urbe Bovilla, oppido Latii, non procul ab urbe Roma, unde dicitur* suburbana. *Et Gabii ea tempestate habebantur in pretio, quibus minus erat Roma oppidulum: medii erant inter Romam, & Præneste.*

Alba) *Albam condidit Ascanius (ita vocatam ab omine porcæ albæ, quæ triginta porcellos edidit) eo itinere, quo itur ad Fidenas, urbem ab Roma distantem stadiis 30.*

Dardana) *Quam fausto auspicio Trojana navis in Italiam Æneam duxit.*

Animi) *Tunc in Italiam venere animosi Decii. De Deciis Cicer. 1. Tuscul.*

Bruti) *Brutus heros ille Romanus, qui Reges Roma ejecerat; & filios suos, revocandis in Urbem Regibus studentes, securi percuti jussit.*

Cæsaris) *Vel quia Venus tutela fuit illius navis, quæ Æneam detulit in Italiam: vel quia duce Venere Æneam Julusque (unde Julia gens) in Italiam delati sunt.*

Portans) *Julus Æneæ filius portans Penates deos in Albam, quam ipse condidit, eos sanctulit.*

Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
  Dixit Aventino tura pianda Remo:
Aut si Pergameæ sero rata carmina Vatis
  Longævum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum, Danai, male vincitis. Ilia tellus
  Vivet, & huic cineri Jupiter arma dabit.
Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
  Qualia creverunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor disponere versu:
  Hei mihi! quod nostro est parvus in ore sonus.
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit; hoc patriæ serviat omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona;
  Mî folia ex hedera porrige, Bacche, tua:
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
  Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces;
  Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives
  Omina, & inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, & cognomina prisca locorum:
  Has meus ad metas sudet oportet equus.

Quo

Avernalis Sibylla) *Si Sibylla Cumana annosa, prope Avernum lacum degens, vera dixit in cortina, i. e. ex tripode: scilicet rura, & agros expiandos esse sanguine Remi Aventini. Remus dicitur Aventinus, vel quia in monte Aventino captavit auguria, vel quia inibi sepultus in loco, qui etiam dicitur Remuria.*

Pergameæ) *Vates Pergamea est Cassandra, quæ fuit a Pergamo, i. e. Troja. Vera quidem ejus vaticinia, sed sero credita: unde Virgil. Numquam credita Teucris.*

Vertite) *Verba sunt Cassandræ ad Græcos: Retrahite equum ligneum: Trojani cineres in Italia majus imperium excitabunt, cui etiam Græcia olim subjicietur.*

Martia) *Poeta lupam adloquitur, Romuli, & Remi nutricem, quæ dicitur Martia, quia Marti lupi dicebantur sacri.*

Hirsuta) *Hirsuta corona e lauro epico poetæ conveniet; elegiaco poetæ ex hedera.*

Umbria) *De Umbria patria Propertii, quæ nunc dicitur* Ducatus Spoletanus, *dictum in ejus vita.*

Quo ruis imprudens vage dicere fata, Properti?
Non sunt a dextra condita fila colu.
Accersis lacrimis cantus; aversus Apollo.
Poscis ab invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus: haud ego vates
Nescius ærata signa movere pila.
Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos,
Horos, & a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere Deos, & fallitur auro
Jupiter. Obliquæ signa iterata rotæ;

Non sunt) *Opus, quod a te texitur, non est a colu felici, & fausta deductum: superas enim tuas vires. Altera pars.*

Accersis) *Tu, qui fles amores tuos, ad lacrimas vis adjungere cantus, & res lætas, sacra scilicet, & dies festos.*

Certa) *Inducitur Astrologus; a quo poeta fingit de rebus futuris se edoctum, qui inquit, se scire movere spheram aneam instar pila rotundam, quam Archimedes invenit.*

Archytæ) *Me procreavit Horos Babylonius Archytæ filius. Archytas fuit philosophus eximius Pythagoricus, patria Tarentinus. Horos, vel Horus, dicitur Babylonius, non a patria, sed a professione; Babylonii enim, & Chaldæi peritissimi Astrologi semper habiti.*

Conone) *Et mea domus a Conone proavo orta est. Conon insignis fuit Mathematicus, ex insula Samo oriundus.*

Nil prius) *In meis libris nil potius, & antiquius est fide, & veritate.*

Pretium) *Deorum religionem, inquit Astrologus, retulerunt quidem in lucrum, & quæstum. Jupiter ipse auro dicitur falli ab Astrologis, dum ipsi ob aurum lucrandum adsignant stellam Jovis faustam in genitura.*

Signa) *Profitetur Astrologus, se dicturum siderum cælestium naturam, quam habet perspectissimam: scilicet cur Zodiaci tramitem Sol oblique percurrat: cur stella Jovis sit benigna, Martis malefica, Saturni*

Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput:
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus & Hesperia quid Capricornus aqua,
Dicam: Troïa cades, & Troïca Roma resurges:
Et maris, & terræ longa sepulcra canam.
Dixi ego, quum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo)
Non posse ad patrios sua pila referre Penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu tibi prolapso non bene cavit equo!
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri, duo funera matris avaræ!
Vera sed invito contigit ista fides.
Idem ego, quum Cynaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram;
Junoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit; libris est data palma meis.

Hoc

perniciosa: quid Pisces, quid Leo, quid Capricornus in genitura portendant.

Troïa) *Orationem prosequitur genethliacam, probatque ab exemplis, se peritissimum esse vatem.*

Sepulcra) *Sepulcra posuit pro funeribus. Non liquet, quæ funera prædicat, nisi de terra, & maris, & totius mundi interitu loquatur.*

Quum geminos) *Arriæ cuidam mulieri, quum misisset duos filios ad bellum, prædixit Astronomus, eos non relaturos arma ad patriam domum.*

Lupercus) *Lupercus, & Gallus sunt duo liberi Arriæ mulieris: alter equi lapsu extinctus, alter, dum Aquilam suam tuetur, interemtus.*

Invito) *Certa mei vaticinii veritas evenit mihi, sed renuenti, & invito.*

Cynaræ) *Astrologus Cynaræ puellæ parturienti sine mortis periculo pariturum prædixit; si Junonis, seu Lucinæ, parientium præsidi, votum exorabile faceret; quod quum evenisset, libris Astrologicis habita est maxima fides.*

Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissus fibra locuta Deos:
Aut si quis motas cornicis senserit alas.
Umbra neque hæc magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est cœli, versusque per astra
Trames, & ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit;
Nec rediere tamen Danai. Tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos respice, Troja, sinus.

Libyci Jovis) *Jovis Hammonis celeberrimum oraculum intelligit, in extrema Libya situm.*

Fibra locuta) *Per haruspicinam e fibris jecinoris ab haruspice exploratis futura cognoscebantur, & voluntas Deorum aperiebatur. Tibul. Significet placidos conscia fibra Deos.*

Cornicis) *Ostendit Cornicem non cantu tantum, sed etiam volatu facere auspicium: idioque non modo oscinem, sed & alitem esse.*

Umbra) *Nec umbra mortui hominis conspersa magicis aquis id indicat.*

Trames versus) *Zodiacum intelligit. De Zonis dictum est sepissime.*

Calchas) *Haruspicinam esse mendacem exemplo Calchantis arioli ostendit. Quum Græci ex Aulide portu solvissent; Calchas eos sospites e Troja aversa in patriam redituros prædixit, quod secus uccidit: nam omnes Græci ad Euboicos sinus, i. e. ad Caphareum promontorium, ad quod Nauplii dolo Græca classis delata est, perierunt. Melius igitur classis Græcorum hæsisset in Aulide ad pia saxa: ideo pia, quia prohibebant cædes, cladesque Græcorum. Scribit Strabo lib. 9., eam regionem, ubi Aulis portus est, saxosam esse.*

Agamemnoniæ) *Calchas Iphigeniam Agamemnonis filiam ad placandos ventos, ac Dianam, quum in Aulide hæreret classis Græcorum, jussit immolari: inde Atrides, i. e. Agamemnon, dux Græcorum, sanguine filiæ cruentatus in Trojam navigavit.*

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
  Et natat exuviis Græcia pressa tuis.
Victor Oilide rape nunc, & dilige Vatem,
  Quem vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiæ. Nunc ad tua devehor astra.
  Incipe tu lacrimis æquus adesse novis.
Umbria te notis antiqua Penatibus edit.
  Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus æstivis intepet Umber aquis:
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
  Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti, non illa ætate legenda,
  Patris, & in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua quum multi versarent rura juvenci;

Abstu-

Oilide) *Astrologus insultat Ajaci, Oilei filio, qui, quum deperiret Cassandram vatem, & propterea in templo Minervæ, quæ eam violari vetarat, vim illi intulisset; caussa fuit potissima Græcorum naufragii.*

Ad tua) *Nunc ad tuum, Properti, inquit Astrologus, sidus natalitium venio: adsis meis novis carminibus.*

Umbria) *Umbria te genuit nobilis antiquis Penatibus. Num mentior? num patriæ tuæ fines non attinguntur?*

Mevania) *Civitas Umbriæ ad viam Flaminiam sita.* Bevagna. *Dicitur nebulosa ob circumjacentes valles, & agros pingues, qui rore multo madentes exhalant nebulas.*

Lacus) *Quisnam sit hic lacus, non convenit inter Commentatores. Scaliger ait esse lacum Vadimonis, nunc* lago di Bassanello. *Alii lacum Velinum;* lago di Piedeluco. *Taddeus Donnola de patr. Propert. lacum Umbrum contendit esse, Clitumni fontes Hispello vicinos.*

Scandentis) *Mœnia in jugo collis scandentis, h. e. eminentis, consurgens, carminibus tuis clariora.*

Tenues) *Postquam patris cineres in urnam rite collegisset Propertius adhuc junior, in angustam domum sub matris custodia, ubi arcte habitus est, compulsus fuit.*

Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo;
Matris & ante deos libera sumta toga;
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus (hæc tua castra)
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam blandis duram patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.
Et bene quum fixum mento discusseris uncum,
Nil erit hoc: rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis:
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina: persuasæ fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas:
Vel tremefacta cavo tellus deducat hiatum;
Octipedis cancri terga sinistra time.

N. 6 VER-

Pertica) *Romani agros perticis, seu decempedis mensos veteranis adtribuebant. Id Propertio accidit: quare ad paupertatem redactus, & paternis possessionibus pulsus, vidit agros pertica tristi descriptos aliis adsignari.*

Bulla) *Bulla hæc in cordis figuram ante pectus pueris ingenuis ornamentum erat.*

Ante matris deos) *Idest coram maternis Laribus. Sub matris tutela post patris mortem educatus est Propertius, & virilem togam sumsit.*

Veneris pueris) *Cupidinibus.* Amorini.

Uncum) *Quo magis ab conjugii jugo te subducere conaberis; hoc arctius adligaberis: metaphora sumta ab unco illo, qui reorum gutturi, collo, aut mento impingebatur, ut traherentur in carcerem.*

Persuasæ) *Decipere, aut effugere volenti unica sufficiet rimula.*

Octipedis cancri) *Cur autem porte sit metuendus cancer, incertum est: nisi forsan ipsi tibi, aut uxori Cynthiæ natale fuerit Astrum.*

II.

VERTUMNUS hac elegia vires suas multiplices, ac varias refert: caussasque, cur Vertumnus nuncupetur, aperit: locumque, ubi colatur, indicat.

VERTUMNI PROSOPOPOEJA.

QUID mirare tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, Tuscus orior: nec pœnitet inter
  Prælia Volsinios deseruisse focos.
Hæc me turba juvat, nec templo lætor eburno:
  Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat; & ajunt,
  Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At, postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu, quia vertentis fructum percepimus anni,
  Vertumni rursus credidit esse sacrum.   Pri-

Vertumnus) *Alii Vortumnus, vel ab anno in se ipsum verso ita dictus, vel a vertendis rebus, hoc est permutandis, vendendis, vel emendis. Fuit Rex antiquissimus Tuscorum, qui serendi &c. rationem tradidit: unde Romæ templum edificatum in vico Tusco, ubi ejus simulacrum, & festa Vertumnalia Octobri mense quotannis celebrabantur.*

Signa) *Audi signa, & notas patrias dei Vertumni.*

Tuscis) *Vertumnus ex Etruria originem trahebat, cujus Rex fuit veterrimus: quare Romæ in vico Tusco templum habebat, ut ait Varro.*

Volsinios) *Non male se egisse, ait Vertumnus, quod Volsinios deseruerit, ut Romam migraret, quum Volsinios Romani debellarint. Vide Liv. lib. 6. & 9. Volsinium urbs est Etruriæ, olim opulentissima.*

Turba juvat) *Ingenti populi Romani frequentia delector.*

Tiberinus) *Est nomen Tiberis fluvii. Notat poeta per forum, qua parte fuit Velabrum. Tiberim fluxis-*

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum prius invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index;
De se narranti tu modo crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles, verte, decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella.
Atque virum sumta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime feno;
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, & (memini) laudabar in illis;
Corbis at imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at, quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra; speciem furabor Iacchi,
Furabor Phœbi; si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumta,
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus: & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Sup-

xisse, & remorum sonitus auditos fuisse. Quum deinde ab Agrippa Menenio Tiberis alveus aversus fuisset a Velabro; ab everso hoc amne dictus fuit Vertumnus: & suis alumnis, i. e. Romanis, via concessa est.

Prima &c.) *Fuit etiam Vertumnus deus hortorum, unde cum Priapo confunditur.*

Cois) *Vestibus scilicet: iis enim utebantur mulieres Romanæ.*

Falcem.) *Falcem intelligit, quam vocant fenariam. Solebant enim fenisecæ sibi frontem herbis cingere ad arcendum solis ardorem.*

Cinge caput mitra) *Bacchus, qui & Iacchus, mitram capite gestabat, & Phœbus plectrum.*

Trajicit) *Fuerunt olim militum species, qui ab uno equo in alterum velox corpus transferrent.*

Suppetat hoc; pisces calamo prædabor, & ibo
  Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ab baculum possum curare, vel idem
  Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
  Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
  Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
  Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi quod formas unus vertebar in omnes;
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Tuscis,
  Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis;
  Atque Sabina feri contudit arma Tati;
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
  Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias, divûm sator, ut Romana per ævum
  Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,

Non

Suppetat) *Si opus sit.*

Mundus institor) *Institor est, qui tractandæ negotiationi proponitur. Mundus, i. e. diligens.*

Possum) *Possum ager pastorem, si detur pedum; & media æstate sirpiculis, seu canistris, ferre rosas,*

Hortorum &c.) *Ab agricolis, & hortulanis cultus fuit Vertumnus; ipsique libata fuere hortorum munera.*

Tribuisti &c.) *Quum olim Lucumon, seu Lucomedius Tuscorum Rex venisset in auxilium Romuli contra Tatium Sabinorum Regem; Romulus locum in Urbe sua Tuscis attribuit, qui vicus Tuscus dictus est*

Turba togata) *Ita etiam Virgilius: Romanos rerum dominos, gentemque togatam*

Vadimonia &c.) *Vadimonium est sponsio ad certum diem sistendi in judicio: reus enim parum idoneus vadem pro se dabat, cui pro reo deserere vadimonium, turpe erat: unde dicitur currere ad vadimonium.*

Non moror: hæc spatiis ultima meta meis:
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.
At tibi, Mamuri, formæ cælator aheæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est; operi non datur unus honos.

Ante Numam) *Numa primus Romæ Rex post Romulum. Dicit autem Vertumnus, Numæ temporibus ex ligno se factum fuisse æneum.*

Mamuri] *Mamurius fuit faber ærarius celeberrimus, qui Vertumni simulacrum opere singulari ex ære finxit.*

Tellus Osca) *Tellus Osca, tua patria, o Mamuri, colat manus tuas: unicum opus est, at tibi multiplex honor tribuatur. Osci populi Campaniæ, oris fœdicate famosi, unde nomen obscenus.*

III.

ARETHUSA epistolam ad Lycotam virum suum scribit de ipsius absentia conquerens: hortaturque, ut tandem confecto bello Parthico domum propere redeat.

ARETHUSA AD LYCOTAM.

HAEC Arethusa suo mittit mandata Lycotæ:
Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit;
Hæc erit e lacrimis facta litura meis.
At, si qua incerto fallat te littera tractu,
Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per Ortus:
Te modo munito Sericus hostis equo: HI-

Arethusa) *Quænam fuerit hæc Arethusa, & Lycotas quinam fuerit, penitus incertum.*

Bactra) *Urbs prima Bactrianæ regionis.*

Iteratos per Ortus.) *Per Orientis populos iterum perlustratos, ac peragratos.*

Sericus) *Seres, Indiæ populi, quorum regio Serica, nunc Cathai dici perhibetur.*

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru:
  Ustus & Eoa discolor Indus aqua.
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit; illa
  Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu: nec recta capillis
  Vitta data est: nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu! portis pendent mea noxia vota.
  Texitur hæc castris quarta lacerna tuit.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas.
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno;

Æter-

Getæ) *Sunt Scythiæ populi ad Boream vergentes; qui æterno gelu rigent. De Britannorum curribus pictis cecinit alibi Propertius: Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Eoa discolor) *Aqua Eoa efficit crispos, & nigros Indos. Alii legunt: Eois equis, i. e. Solis equis.*

Fax omen) *Ominis caussa puellæ deductæ in domum mariti, idest novæ nuptæ, duo pueri facem præferebant. Illa fax nigra accensa fuit ab rogo everso: quod erat nuptiis infaustum.*

Stygio sum &c.) *Tria infelicium nuptiarum omina ponit: Stygia sum sparsa lacu: hoc est aqua Inferorum paludis: deinde dicit: Nec recta capillis &c. novæ enim nuptæ, sicut & matronæ, rectas vittas gestare solebant; virginum vero vittæ erant non rectæ, sed residentes: tertio dicit: Non comitante Deo, idest Hymenæo minime deducente.*

Mea noxia vota) *In portis, ubi erant Deorum imagines, appendebantur vota obnoxia.*

Quarta &c.) *Tres lacernas militares conjugi jam misisse dicit, & jam quartam se texere. Ita Ovid. Fast. 2.*

Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,
  Quam primum nostra facta lacerna manu.

Per ossa tubas) *Olim osseæ fuere tubæ, quæ postea ex ære constructæ sunt.*

Ocno) *Ocnus fuit vir, quem effinxerunt funem perpetuo torquentem, adstante asella quæ quantum*

ille

Æternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles adterit hasta manus?
Diceris, & macie vultum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi quum noctes induxit vesper amaras.
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto:
Lucis & auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro:
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes:
Quot sine aqua Parthus millia currat equus.
Cogor & e tabula pictos edicere Mundos:
Qualis & hæc docti sit positura Dei:
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidua una soror curis, & pallida nutrix
Pejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nudâ tulit arma papillâ,

Et

ille torsisset, statim illa perroderet; unde proverbium, Ocnus funiculum torquet, in eos, qui nulli labori parcunt, ut rem familiarem augeant; attamen domi habent asellam, idest uxorem, quæ omnia profundit. Dicitur obliquus a positura corporis, qui enim funem torquent, obliquo gradu incedunt.

E desiderio sit) *Opto, ut pallor a mei desiderio proveniat.*

Castrensia) *Ad castrorum usum opus texo, & vellera Tyria, i. e. purpurea, per radios textorios distincta laboro.*

Araxes) *Armeniæ fluvius, qui in Caspium mare inlabitur.*

Qualis &c.) *Et quomodo sapientissimus Deus mundum disposuit, a tabulis edisco.*

Hippolyte) *Arethusa dicit felices Amazonas, quorum Regina fuit Hippolyte, quod ipsis arma tractare licebat.*

Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos.
Incorrupta mei conserva fœdera lecti.
Hac ego te sola lege rediffe velim.
Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam: Salvo grata puella viro.

duci, odoribus perfuso; dum arcus conversis in fugam equis insonat, & funda torquentur.
— Armaque) *Voverat Arethusa, Diis se appensuram arma viri a bello reducis in porta Capena: in ibi enim Martis, bellorum præsidis, ædis fuisse legitur.*

IIII.

Postquam Romani, auctore Romulo, Sabinorum mulieres rapuissent; ipsis, duce Tatio, Sabini bellum intulerunt. Fingit autem Propertius, Tarpejam virginem Vestalem desiderio nuptiarum regis Tatii correptam arcem prodidisse: cujus custodia patri ejus commissa fuerat: inde Tarpejam ipsam Sabini, ut fraudem ulciscerentur, clypeis obruerunt.

TARPEJAE FABULA.

TARPEJUM nemus, & Tarpejæ turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso conditus antro,
Multa ubi nativis obstrepit arbor aquis.
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno;
Fidaque suggesta castra coronat humo.

Quid

Tarpejæ] *In eo monte sepulta est Tarpeja Vestalis virgo, qui Jovi dicatus fuit, unde Tarpejus Pater.*

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis;
Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes, ubi nunc est curia septa:
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja Deæ fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.
Obstupuit regis facie, & regalibus armis:
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ caussata est omina Lunæ:
Et sibi tingendas dixit in amne comas.

Sæpe

Curetis) *Sabinis. Dicti sunt Sabini Curetes ab urbe Curibus, unde Quirites. Tuba pulsabat saxa Jovis, i. e. Tarpejam rupem, Jovi sacram.*

Stabant Romano] *Sabinorum copiæ forum Romanum occupabant, ubi nunc devicto Orbe leges dantur.*

Murus erant montes) *Pro mœnibus montes, ubi nunc est constructa Curia.*

Ex illo fonte) *De quo locutus versu 7.*

Hinc] *Tarpeja Vestalis deæ Vestæ ad sacra facienda ex hoc fonte hauriebat aquam: ipsique inde redeunti medium verticem urna plena premebat.*

Una malæ &c.] *Non satis erat una mors huic Vestali, quæ sacra deæ Vestæ violavit.*

Proludere campis) *Pugnæ simulacra repræsentare, ut ad certamen sese adsuescerent milites.*

Arma &c.) *Et vidit, Tatium ventilare arma equo flavo adsidentem.*

Omina Lunæ) *Quod amphora ceciderit, accusavit Lunam: Lunam enim credebant veteres immittere somnia.*

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua tarpeja residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates;
Dum captiva mei conspicer esse Tati.
Romani montes, & montibus addita Roma;
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum, in patrios Scyllam sævisse capillos?

Can-

Sæpe tulit) *Obtulit lilia Nymphis, ne Tatius vulneraretur.*

Dumque subit &c.) *Ut conspiceret Tatium, Tarpeja ingressa est Capitolium nubilum, hoc est obscurum; fumo matutino quasi nubibus obtectum, & ejus brachia sentibus discerpta sunt.*

Et sua tarpeja) *Vestalis illa sedens in Capitolio flebat vulnera, non quæ ei intulerant rubi, sed quæ intulit amor Tatii: quæ nec vicinus Jupiter passurus esset. Jupiter in Capitolio.*

Ignes castrorum &c.) *Verba sunt Tarpejæ Vestalis, nuptias Tatii exoptantis.*

Romani montes) *Valete Romani montes, & Roma ipsa, & Vesta, quæ meo crimine certe erubescet.*

Ille equus) *Equus ille referet ad castra Tatium, quem amo, cujus jubas in armum dexterum recumbentes componet.*

Scyllam] *Perfidiam suam Vestalis excusare cupit exemplo Scyllæ, filiæ Nisi, Regis Megarensium, quæ amore Minois, paterni hostis, flagrans, patrem capillo purpureo, in quo fatum regni ejus situm erat, spoliavit, Minoique tradidit, quasi dotem conjugii: in-*

Candidaque in sævos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine toria via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes;
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur Urbe:
Tu cape spinosi riscida terga jugi.
Lubrica tota via est, & perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicæ nossem cantamina musæ!
Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet; non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic, hospes, patiare tua regina sub aula;
Dos tibi non humilis, prodita Roma, venit.
Sin minus, at raptæ ne sint impune Sabinæ,

Me

de Scylla conversa est in canem pube tenus: quod accidit Scyllæ Phorci. Videtur Poeta duas fabellas miscere.

Prodita &c.) *Monstrum cornutum est Minotaurus, qui ab Ariadna sorore proditum fuit, quæ Theseo revolutum stamen tradidit, ut se ab labyrintho extricaret.*

Ausoniis crimen) *Ego virgo Vestalis, electa sacerdos ad servandum sacrum ignem adlatura sum Romanis virginibus maximum dedecus.*

Pallados) *Palladem, & Vestam eadem esse deam nonnulli contendunt; quia Palladium ab Vestalibus servabatur.*

Cape spinosi) *Tu, Tati, occupa dorsum vere madens collis vepribus asperi.*

Quem sine) *Intelligit Romulum, quem non mater, sed lupa enutrivit.*

Regina) *O advena Tati, utinam ferre velis, ut sim Regina in aula tua: & non humilis dos tibi dabitur, Roma scilicet.*

Ne sint) *Ne remaneat inultum scelus Romuli, qui vestras virgines Sabinas rapuit.*

Me rape, & alterna lege rependa vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptæ
Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde, Hymenæe, modos: tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum, de te mihi somnia quæram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta Iliacæ felix tutela favillæ
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta
Stry-

Nuptæ) *O Sabinæ jam nuptæ pacem Romanos inter, & Sabinos mea palla nuptiali componite.*

Hymenæe) *Deus nuptiarum præses, adhibe modos, i. e. carmen nuptiale: & tubicen remove tuum trucem cantum; meum conjugium vestra bella sedabit.*

Quarta canit) *Tarpeja significat lucem, seu diem instare, & quartam buccinam signum dedisse quartæ vigiliæ, quæ est noctis pars ultima. Nox apud veteres in quatuor vigilias trium horarum dividebatur, & vigiles in stationem succedebant, dato signo a tubicine. Vide Vegetium lib. 3. c. 8. de re milit.*

Et incerto &c.) *Tarpeja dubio somno membra tradidit: & nesciebat, se cubitum discessisse cum novo furentis amoris ardore, & cubare cum insanis flammis.*

Nam Vesta &c.) *Vesta, quæ reliquias, cineresque Trojæ, & Ilii tuetur, Tarpejæ insanam flammam fovet, & nutrit, unde ruit in scelus infandum.*

Illa ruit &c.) *Ruit qualis Strymonis, i. e. Baccha, seu Mænas nudo pectore: nam ad Strymonem amnem Threjiciæ Bacchæ sacra Bacchi sui celebrantes discurrebant. Propertius hoc in loco sequitur senten-*

Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat, dixere Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in Urbe.
Quum pagana madent fercula deliciis.
Quumque super raros feni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes;
Romulus excubias decrevit in otia solvi;
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem,
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, Festoque remissus.
Nec mora: vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos: sed Jupiter unus
Decrevit pœnis invigilare tuis.
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem:
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At

tentiam eorum, qui Thermodoontem fluvium, Amazonasque in Thracia collocant.

Palilia Patres) *Palis Deæ pastorum festa, quæ 10 Kal. Majas Romæ celebrabantur, præsertim in agris a colonis ritu solenni. Paliliorum dies fuit natalis urbis Romæ; eo enim die mœnia a Romulo condita sunt.*

Excubias) *Ob celebritatem Paliliorum decrevit Romulus, ut omnes etiam excubiæ genio, & otio indulgerent, & arma, tubæque silerent.*

Tarpeja suum) *Hunc diem festum ad patrandam arcis proditionem idoneum rata, Tatium Regem adiit &c.*

Festoque remissus) *Custodia erat remissior, ac negligentior ob festa Palilia: quare montem Tatius occupat, & canes enecat.*

Jupiter unus) *Tarpejus scilicet, cui sunt odio proditores, vigilavit ad pœnas de proditrice Tarpeja sumendas.*

Patriamque jacentem) *i. e. cives vino; somnoque sepultos.*

At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum super obruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustæ præmia sortis habes.

Neque enim &c.) *Proditionem Tatius hostis nefandam honore, seu præmio adficere noluit; Tarpejamque, quæ se fore Reginam sperabat, congestis armis obrutam interemit, tali quidem supplicio dignam.*

Tarpejo &c.) *A duce Tarpejo patre Tarpejæ Vestalis dictus est mons Tarpejus, qui antea Saturnius mons vocabatur.*

O vigil) *O Jupiter, qui vigilasti ad custodiam Montis, & Templi, habuisti præmia iniqua proditionis.*

V.

AUGUSTI laudes canit poeta: victoriamque navalem ab ipso relatam ex Antonio & Cleopatra Ægypti regina ad Actium promontorium celebrat.

AUGUSTI LAUDES.

SACRA facit Vates. Sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi turis honores,

O Ter-

Cera] *Cera Romana. i. e. versus Romani in cera inscripti, vel tabulis ceratis (Alii legunt Serta, alii Hedra pro hedera) qui versus certent cum iis, quos Philetas Cous canebat; & quicum sæpe se comparat Propertius.*

Cyrenæas aquas) *Fontes nimirum, ex quibus Callimachus Cyrenæus.*

Terque focum circa laneus orbis eat:
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aere noxæ:
Pura novum Vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis ædem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
Dum canitur, quæso, Jupiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Joniæ murmura condit aquæ,
Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit æquore moles
Piena, nec remis æqua favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino:
Pilaque feminea turpiter apta manu.

Hinc

Laneus orbis) *Laneis vittis aræ coronabantur: ita Virg. lib. 8. Æneid. Adfer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.*

Mygdoniis) *i. e. Phrygiis. Mygdonia est regio Phrygiæ, ubi est etiam urbs dicta,* Cadi orum: *hujusmodi tibiam canter versus in novis sacrificiis: alii legunt Mygdoniis modis, quod est planius.*

Pura &c.) *Pura laurea facilem poetæ reddit viam, antea non tritam.*

Athamana) *Athamanes sunt populi Epiri, Ætoliæ contermini. Strabo lib. 7. & 9.*

Julææ carinæ) *Ad Actium promontorium ab Augusto conditum est templum Appollinis, ac oppidum Nicopolis, a victoria navali de Antonio ita dictum, quæ sunt monumenta Julæa carinæ, i. e. Augusti.*

Teucro &c.) *Teucrus Quirinus est Augustus, ab Ænea Trojano originem ducens. Damnata, i. e adjudicata, & addicta.*

Feminea manu) *Manu scilicet Cleopatræ Ægypti Reginæ, quæ vires suas omnes Orientis imperii pro Antonio sua contulerat.*

Hinc Augusta ratis plenis, Jovis omine, velis,
Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua:
Quum Phœbus liquens stantem, se vindice, Delon
(Nam tulit iratos mobilis unda Notos)
Adstitit Augusti puppem super: & nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ.
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, o Longa mundi servator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite major avis:
Vince mari: jam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur

Delon) *Insula Delos olim per mare vagabatur; sed Apollo ibidem genitus immobilem reddidit.*

Carmen inerme) *Non adtulit Phœbus carmina bello inepta.*

Pelopeum Agamemnona) *Quum Agamemnon, cujus avus fuit Pelops, Astynomen filiam Chrysæ sacerdotis Apollinis bello cepisset: quumque idem Chryses filiam ab Agamemnone ingentibus donis non impetrasset; precatus est Apollinem, qui statim pestem immisit Doricis castris, i. e. Græcis, & exhausit rapidis funeribus.*

Pythona &c.) *Nota est fabula de Pythone serpente, quem per sinuosa volumina telis confixit Apollo, unde dictus est Pythius. Ovid. Metamor. lib. 1.*

O longa) *Apollo adloquitur Augustum; qui ab Albanis Regibus originem ducebat, & Julia gens orta est, & superabat virtutem avorum suorum de gente Hectorea.*

II.

VERTUMNUS hac elegia vires suas multiplices, ac varias refert: caussasque, cur Vertumnus nuncupetur, aperit: locumque, ubi colatur, indicat.

VERTUMNI PROSOPOPOEJA.

QUID mirare tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, Tuscus orior: nec pœnitet inter
  Prælia Volsinios deseruisse focos.
Hæc me turba juvat, nec templo lætor eburno:
  Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat; & ajunt,
  Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At, postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu, quia vertentis fructum percepimus anni,
  Vertumni rursus credidit esse sacrum. Pri-

Vertumnus) *Alii Vortumnus, vel ab anno in se ipsum verso ita dictus, vel a vertendis rebus, hoc est permutandis, vendendis, vel emendis. Fuit Rex antiquissimus Tuscorum, qui serendi &c. rationem tradidit: unde Romæ templum ædificatum in vico Tusco, ubi ejus simulacrum, & festa Vertumnalia Octobri mense quotannis celebrabantur.*

Signa) *Audi signa, & notas patrias dei Vertumni.*

Tuscis) *Vertumnus ex Etruria originem trahebat, cujus Rex fuit veterrimus: quare Romæ in vico Tusco templum habebat, ut ait Varro.*

Volsinios) *Non male se egisse, ait Vertumnus, quod Volsinios deseruerit, ut Romam migraret, quum Volsinios Romani debellarint. Vide* Liv. *lib. 6. & 9. Volsinium urbs est Etruriæ, olim opulentissima.*

Turba juvat) *Ingenti populi Romani frequentia delector.*

Tiberinus) *Est nomen Tiberis fluvii. Notat poeta per forum, qua parte fuit Velabrum. Tiberim fluxis-*

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna.
Cernis, & æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum prius invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles, verte, decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella.
Atque virum sumta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime feno:
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, & (memini) laudabar in illis:
Corbis at imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites: at, quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra; speciem furabor Iacchi.
Furabor Phœbi; si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumta
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus: & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Sup-

xisse, & remorum sonitus auditos fuisse. Quum deinde ab Agrippa Menenio Tiberis alveus aversus fuisset a Velabro; ab eversa hoc amne dictus fuit Vertumnus: & suis alumnis, i. e. Romanis, via concessa est.

Prima &c.) *Fuit etiam Vertumnus deus hortorum, unde cum Priapo confunditur.*

Cois) *Vestibus scilicet: iis enim utebantur mulieres Romanæ.*

Falcem.) *Falcem intelligit, quam vocant fenariam. Solebant enim fenisecæ sibi frontem herbis cingere ad arcendum solis ardorem.*

Cinge caput mitra) *Bacchus, qui & Jacchus, mitram capite gestabat, & Phœbus plectrum.*

Trajicit) *Fuerunt olim militum species, qui ab uno equo in alterum velox corpus transferrent.*

Suppetat hoc; pisces calamo prædabor, & ibo
  Mundus demissis instítor in tunicis.
Pastorem ab baculum possum curare, vel idem
  Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
  Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidòque cucurbita ventre
  Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
  Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi quod formas unus vertebar in omnes;
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Tuscis,
  Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
  Atque Sabina feri contudit arma Tati;
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
  Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias, divûm sator, ut Romana per ævum
  Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non

Suppetat) *Si opus sit.*

Mundus instítor) *Institor est, qui tractandæ nego-gotiationi proponitur. Mundus, i. e. diligens.*

Possum) *Possum agere pastorem, si detur pedum; & media æstate sirpiculis, seu canistris, ferre rosas,*

Hortorum &c.) *Ab agricolis, & hortulanis cultus fuit Vertumnus; ipsique libata fuere hortorum munera.*

Tribuisti &c.) *Quum olim Lucumon, seu Lucomedius Tuscorum Rex venisset in auxilium Romuli contra Tatium Sabinorum Regem; Romulus locum in Urbe sua Tuscis attribuit, qui vicus Tuscus dictus est*

Turba togata) *Ita etiam Virgilius: Romanos rerum dominos, gentemque togatam*

Vadimonia &c.) *Vadimonium est sponsio ad certum diem sistendi in judicio: reus enim parum idoneus vadem pro se dabat, cui pro reo deserere vadimonium, turpe erat: unde dicitur currere ad vadimonium.*

Non moror: hæc spatiis ultima meta meis:
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.
At tibi, Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est; operi non datur unus honos.

Ante Numam) *Numa primus Romæ Rex post Romulum. Dicit autem Vertumnus, Numæ temporibus ex ligno se factum fuisse æneum.*

Mamuri] *Mamurius fuit faber ærarius celeberrimus, qui Vertumni simulacrum opere singulari ex ære finxit.*

Tellus Osca) *Tellus Osca, tua patria, o Mamuri, colat manus tuas: unicum opus est, at tibi multiplex honor tribuetur. Osci populi Campaniæ, oris fœdicate famosi, unde nomen obscenus.*

III.

ARETHUSA epistolam ad Lycotam virum suum scribit de ipsius absentia conquerens: hortaturque, ut tandem confecto bello Parthico domum propere redeat.

ARETHUSA AD LYCOTAM.

HAEC Arethusa suo mittit mandata Lycotæ:
Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit;
Hæc erit e lacrimis facta litura meis.
At, si qua incerto fallat te littera tractu,
Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per Ortus:
Te modo munito Sericus hostis equo: Hi-

Arethusa) *Quænam fuerit hæc Arethusa, & Lycotas quinam fuerit, penitus incertum.*

Bactra) *Urbs prima Bactrianæ regionis.*

Iteratos per Ortus) *Per Orientis populos iterum perlustratos, ac peragratos.*

Sericus) *Seres, Indiæ populi, quorum regio Sericu, nunc Cathai dici perhibetur.*

Hiberniquc Getæ, pictoque Britannia curru:
  Ustus & Eoa discolor Indus aqua.
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit; illa
  Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu: nec recta capillis
  Vitta data est: nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu! portis pendent mea noxia vota.
  Texitur hæc castris quarta lacerna tuit.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas.
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno;

Æter-

Getæ) *Sunt Scythiæ populi ad Boream vergentes; qui æterno gelu rigent. De Britannorum curribus pictis cecinit alibi Propertius: Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Eoa discolor) *Aqua Eoa efficit crispos, & nigros Indos. Alii legunt: Eois equis, i. e. Solis equis.*

Fax omen) *Ominis caussa puellæ deductæ in domum mariti, idest novæ nuptæ; duo pueri facem præferebant. Illa fax nigra accensa fuit ab rogo everso: quod erat nuptiis infaustum.*

Stygio sum &c.) *Tria infelicium nuptiarum omina ponit: Stygia sum sparsa lacu: hoc est aqua Inferorum paludis: deinde dicit: Nec recta capillis &c. novæ enim nuptæ, sicut & matronæ, rectas vittas gestare solebant; virginum vero vittæ erant non rectæ, sed residentes: tertio dicit: Non comitante Deo, idest Hymenæo minime deducente.*

Mea noxia vota) *In portis, ubi erant Deorum imagines, appendebantur vota obnoxia.*

Quarta &c.) *Tres lacernas militares conjugi jam misisse dicit, & jam quartam se texere. Ita Ovid. Fast. 2.*

Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,
  Quam primum nostra facta lacerna manu.

Per ossa tubas) *Olim osseæ fuere tubæ, quæ postea ex ære constructæ sunt.*

Ocno) *Ocnus fuit vir, quem effinxerunt funem perpetuo torquentem, adstante asella quæ quantum*

ille

Æternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles adterit hasta manus?
Diceris, & macie vultum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi quum noctes induxit vesper amaras.
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto:
Lucis & auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro:
Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes:
Quot sine aqua Parthus millia currat equus.
Cogor & e tabula pictos ediscere Mundos:
Qualis & hæc docti sit positura Dei:
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidua una soror curis, & pallida nutrix
Pejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nudâ tulit arma papillâ,

Et

ille torsisset, statim illa perroderet; unde proverbium, Ocnus funiculum torquet, in eos, qui nulli labori parcunt, ut rem familiarem augeant; attamen domi habent asellam, idest uxorem, quæ omnia profundit. Dicitur obliquus a positura corporis, qui enim funem torquent, obliquo gradu incedunt.

E desiderio sit) *Opto, ut pallor a mei desiderio proveniat.*

Castrensia) *Ad castrorum usum opus texo, & vellera Tyria, i. e. purpurea, per radios textorios distincta laboro.*

Araxes) *Armeniæ fluvius, qui in Caspium mare inlabitur.*

Qualis &c.) *Et quomodo sapientissimus Deus mundum disposuit, a tabulis edisco.*

Hippolyte) *Arethusa dicit felices Amazonas, quorum Regina fuit Hippolyte, quod ipsis arma tractare licebat.*

Et texit galeâ barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiæ sarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ juga, quum pater altas
  Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major.
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi, quo Pœnis tibi purpura fulgeat ostris,
  Crystallusque tuas ornet aquosa manus;
Omnia surda tacent: rarisque adsueta Kalendis,
  Vix aperit clausos una puella lares.
Graucidos & catulæ vox est mihi grata querentis.
  Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
  Et crepat ad veteres herba sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno:
  Seu voluit tangi parca lucerna mero;
Illa dies hornis cædem denuntiat agnis:
  Subcinctique calent ad nova lucra popæ.
Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,

Ra-

Barbara &c.) *Romani omnes gentes exteras barbaras adpellabant.*

Pater Africus) *Venti Dii credebantur : ille non est frigidus : unde fortasse pro Aquilone positus.*

Mihi) *Omnia mihi surda, ut tu fulgeas ostro puniceo : & bibas in crystallo instar aquæ lucidæ : & solis Kalendis ancilla ad id edocta domum aperiat.*

Graucidos) *Graucis est nomen catellæ : fuerunt etiam olim catulæ feminis in deliciis.*

Herba sabina &c.) *His herbis utebantur ad suffimen.*

Parca &c.) *Lucerna erat in usu iis, qui parsimoniæ studebant : a lucernis omina captabant, ideoque mero tingebantur, quo excitaretur flamma languens.*

Hornis agnis) *Tunc sacrificantur agni hujus anni. Popæ erant sacrificiorum ministri.*

Adscensis Bactris) *Precor, ne tanti stet gloria expugnatorum Bactrorum : & linea vitta erepta eorum*

Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos.
Incorrupta mei conserva fœdera lecti.
Hac ego te sola lege rediisse velim.
Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam: Salvo grata puella viro.

duci, odoribus perfuso; dum arcus conversis in fugam equis insonat, & fundæ torquentur.

— Armaque) *Voverat Arethusa, Diis se appensuram arma viri a bello reducis in porta Capena: inibi enim Martis, bellorum præsidis, ædis fuisse legitur.*

IIII.

Postquam Romani, auctore Romulo, Sabinorum mulieres rapuissent; ipsis, duce Tatio, Sabini bellum intulerunt. Fingit autem Propertius, Tarpejam virginem Vestalem desiderio nuptiarum regis Tatii correptam arcem prodidisse: cujus custodia patri ejus commissa fuerat: inde Tarpejam ipsam Sabini, ut fraudem ulciscerentur, clypeis obruerunt.

TARPEJAE FABULA.

TARPEJUM nemus, & Tarpejæ turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso conditus antro,
Multa ubi nativis obstrepit arbor aquis.
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno;
Fidaque suggesta castra coronat humo.

Quid

Tarpejæ] *In eo monte sepulta est Tarpeja Vestalis virgo, qui Jovi dicatus fuit, unde Tarpejus Pater.*

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
  Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
  Rettulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua tarpeja residens ita flevit ab arce
  Vulnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
  Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates;
  Dum captiva mei conspicer esse Tati.
Romani montes, & montibus addita Roma;
  Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
  Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum, in patrios Scyllam sævisse capillos?

Can-

Sæpe tulit) *Obtulit lilia Nymphis, ne Tatius vulneraretur.*

Dumque subit &c.) *Ut conspiceret Tatium, Tarpeja ingressa est Capitolium nubilum, hoc est obscurum; fumo matutino quasi nubibus obtectum, & ejus brachia sentibus discepta sunt.*

Et sua tarpeja) *Vestalis illa sedens in Capitolio flebat vulnera, non quæ ei intulerant rubi, sed quæ intulit amor Tatii: quæ nec vicinus Jupiter passurus esset. Jupiter in Capitolio.*

Ignes castrorum &c.) *Verba sunt Tarpejæ Vestalis, nuptias Tatii exoptantis.*

Romani montes) *Valete Romani montes, & Roma ipsa, & Vesta, quæ meo crimine certe erubescet.*

Ille equus) *Equus ille referet ad castra Tatium, quem amo, cujus jubas in armum dexterum recumbentes componet.*

Scyllam] *Perfidiam suam Vestalis excusare cupit exemplo Scyllæ, filiæ Nisi, Regis Megarensium, quæ amore Minois, paterni hostis, flagrans, patrem capillo purpureo, in quo fatum regni ejus situm erat, spoliavit, Minoique tradidit, quasi dotem conjugii: in-*

Candidaque in sævos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes;
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur Urbe:
Tu cape spinosi riscida terga jugi.
Lubrica tota via est, & perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicæ nossem cantamina musæ!
Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet; non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic, hospes, patiare tua regina sub aula;
Dos tibi non humilis, prodita Roma, venit.
Sin minus, at raptæ ne sint impune Sabinæ,

Me

de Scylla conversa est in canem pube tenus: quod accidit Scyllæ Phorci. Videtur Poeta duas fabellas miscere.

Prodita &c.) *Monstrum cornutum est Minotaurus, qui ab Ariadna sorore proditum fuit, quæ Theseo revolutum stamen tradidit, ut se ab labyrintho extricaret.*

Ausoniis crimen) *Ego virgo Vestalis, electa sacerdos ad servandum sacrum ignem adlatura sum Romanis virginibus maximum dedecus.*

Pallados) *Palladem, & Vestam eadem esse deam nonnulli contendunt; quia Palladium ab Vestalibus servabatur.*

Cape spinosi) *Tu, Tati, occupa dorsum vere madens collis vepribus asperi.*

Quem sine) *Intelligit Romulum, quem non mater, sed lupa enutrivit.*

Regina) *O advena Tati, utinam ferre velis, ut sim Regina in aula tua: & non humilis dos tibi dabitur, Roma scilicet.*

Ne sint) *Ne remaneat inultum scelus Romuli, qui vestras virgines Sabinas rapuit.*

Me rape, & alterna lege rependе vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptæ
Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde, Hymenæe, modos: tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum, de te mihi somnia quæram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta Iliacæ felix tutela favillæ
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta
Stry-

Nuptæ) *O Sabinæ jam nuptæ pacem Romanos inter, & Sabinos mea palla nuptiali componite.*

Hymenæe) *Deus nuptiarum præses, adhibe modos, i. e. carmen nuptiale: & tubicen remove suum trucem cantum; meum conjugium vestra bella sedabit.*

Quarta canit) *Tarpeja significat lucem, seu diem instare, & quartam buccinam signum dedisse quartæ vigiliæ, quæ est noctis pars ultima. Nox apud veteres in quatuor vigilias trium horarum dividebatur, & vigiles in stationem succedebant, dato signo a tubicine. Vide Vegetium lib. 3. c. 8. de re milit.*

Et incerto &c.) *Tarpeja dubio somno membra tradidit: & nesciebat, se subitum discessisse cum novo furentis amoris ardore, & cubare cum insanis flammis.*

Nam Vesta &c.) *Vesta, quæ reliquias, cineresque Trojæ, & Illi tuetur, Tarpejæ insanam flammam fovet, & nutrit, unde ruit in scelus infandum.*

Illa ruit &c.) *Ruit qualis Strymonis, i. e. Baccha, seu Mænas nudo pectore: nam ad Strymonem amnem Threjiciæ Bacchæ sacra Bacchi sui celebrantes discurrebant, Propertius hoc in loco sequitur senten-*

Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat, dixere Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in Urbe.
Quum pagana madent fercula deliciis.
Quumque super raros feni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes;
Romulus excubias decrevit in otia solvi;
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem,
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, Festoque remissus.
Nec mora: vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos: sed Jupiter unus
Decrevit pœnis invigilare tuis.
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem;
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.

At

tentiam eorum, qui Thermodoontem fluvium, Amazonasque in Thracia collocant.

Palilia Patres) *Palis Deæ pastorum festa, quæ 10° Kal. Majas Romæ celebrabantur, præsertim in agris a colonis ritu solenni. Paliliorum dies fuit natalis urbis Romæ; eo enim die mœnia a Romulo condita sunt.*

Excubias) *Ob celebritatem Paliliorum decrevit Romulus, ut omnes etiam excubiæ genio, & otio indulgerent, & arma, tubæque silerent.*

Tarpeja suum) *Hunc diem festum ad patrandam arcis proditionem idoneum rata, Tatium Regem adiit &c.*

Festoque remissus) *Custodia erat remissior, ac negligentior ob festa Palilia: quare montem Tatius occupat, & canes enecat.*

Jupiter unus) *Tarpejus scilicet, cui sunt odio proditores, vigilavit ad pœnas de proditrice Tarpeja sumendas.*

Patriamque jacentem) *i. e. cives vino; somnoque sepultos.*

At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum super obruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustæ præmia sortis habes.

Neque enim &c.) *Proditionem Tatius hostis nefandam honore, seu præmio adficere noluit; Tarpejamque, quæ se fore Reginam sperabat, congestis armis obrutam interemit, tali quidem supplicio dignam.*

Tarpejo &c.) *A duce Tarpejo patre Tarpejæ Vestalis dictus est mons Tarpejus, qui antea Saturnius mons vocabatur.*

O vigil) *O Jupiter, qui vigilasti ad custodiam Montis, & Templi, habuisti præmia iniquæ proditionis.*

V.

AUGUSTI laudes canit poeta: victoriamque navalem ab ipso relatam ex Antonio & Cleopatra Ægypti regina ad Actium promontorium celebrat.

AUGUSTI LAUDES.

SACRA facit Vates. Sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi turis honores,

O Ter-

Cera] *Cera Romana. i. e. versus Romani in cera inscripti, vel tabulis ceratis (Alii legunt Serta, alii Hedra pro hedera) qui versus certent cum iis, quos Philetas Cous canebat; & quicum sæpe se comparat Propertius.*

Cyrenæas aquas) *Fontes nimirum, ex quibus Callimachus Cyrenæus.*

Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aere noxæ:
Pura novum Vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis ædem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
Dum canitur, quæso, Jupiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Joniæ murmura condit aquæ,
Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino:
Pilaque feminea turpiter apta manu.

Hinc

Laneus orbis) *Laneis vittis aræ coronabantur: ita Virg. lib. 8. Æneid. Adfer aquam, & molli cinge hec altaria vitta.*

Mygdoniis) *i. e. Phrygiis. Mygdonia est regio Phrygiæ, ubi est etiam urbs dicta.* Cadi orum: *hujusmodi tibiam cantet versus in novis sacrificiis: alii legunt Mygdoniis modis, quod est planius.*

Pura &c.) *Pura laurea facilem poetæ reddit viam, antea non tritam.*

Athamana) *Athamanes sunt populi Epiri, Ætoliæ contermini. Strabo lib. 7. & 9.*

Julææ carinæ) *Ad Actium promontorium ab Augusto conditum est templum Appollinis, ac oppidum Nicopolis, a victoria navali de Antonio ita dictum, quæ sunt monumenta Julea carinæ, i. e. Augusti.*

Teucro &c.) *Teucrus Quirinus est Augustus, ab Ænea Trojano originem ducens. Damnata, i. e adjudicata, & addicta.*

Feminea manu) *Manu scilicet Cleopatræ Ægypti Reginæ, quæ vires suas omnes Orientis imperii pro Antonio sue contulerat.*

Hinc Augusta ratis plenis, Jovis omine, velis,
  Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum & radiis picta tremebat aqua:
Quum Phœbus liquens stantem, se vindice, Delon
  (Nam tulit iratos mobilis unda Notos)
Adstitit Augusti puppem super: & nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crines in colla solutos,
  Aut testudineæ carmen inerme lyræ.
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
  Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, o Longa mundi servator ab Alba
  Auguste, Hectoreis cognite major avis:
Vince mari: jam terra tua est: tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
  Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur

Delon) *Insula Delos olim per mare vagabatur; sed Apollo ibidem genitus immobilem reddidit.*

Carmen inerme) *Non adtulit Phœbus carmina bello inepta.*

Pelopeum Agamemnona) *Quum Agamemnon, cujus avus fuit Pelops, Astynomen filiam Chryse sacerdotis Apollinis bello cepisset: quumque idem Chryses filiam ab Agamemnone ingentibus donis non impetrasset; precatus est Apollinem, qui statim pestem immisit Doricis castris, i. e. Græcis, & exhausit rapidis funeribus.*

Pythona &c.) *Nota est fabula de Pythone serpente, quem per sinuosa volumina telis confixit Apollo, unde dictus est Pythius. Ovid. Metamor. lib. 1.*

O longa) *Apollo adloquitur Augustum; qui ab Albanis Regibus originem ducebat, & Julia gens orta est, & superabat virtutem avorum suorum de gente Hectorea.*

Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent. proh turpe! Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centaurica saxa minantes,
Tigna cava, & pictos experiare metus.
Frangit, & attollit vires in milite caussa.
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi: dat femina pœnas.
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro:
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ

Flau-

Ire Palatinas) *Romulus montem Palatinum conscendens, vidit duodecim aves volare; sex vero Remus: unde ab hoc augurio nomen dedit Romæ. Ovid. Fast. 4.*

Nimium remis) *Fluctus Jonii sustinent ferre naves Reginæ Cleopatræ, te principe, quod heu nimis probrosum est Latinis navibus.*

Centaurica saxa) *Nota est vis Centaurorum, qui pugnantes in Lapithas ingentia saxa, & arbores jaculabantur. Ostendit hic, non esse timendam Antonii classem, veluti si essent trabes cavæ, & inanes terrores.*

Pater) *Cæsar dicitur pater Augusti, non natura, sed adoptione: eumque appellat poeta Idalium astrum, quod Horatius dicit Julium sidus. Cæsar post mortem Deus factus est, & inter astra relatus. Idalium, i. e. ad Venerem pertinens, ab Idalio civitate Cypri, Veneri cara. Cæsar a Venere originem ducebat.*

Sum Deus) *Inquit Cæsar: Ego sum Divus, meique generis hæc est certa probatio.*

Plauserunt circa libera signa Deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum jusso non moritura die.
Dî melius: quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias
Actius hinc traxit Phæbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: cytharam jam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco;
Blanditæque fluant per mea colla rosæ:
Vinaque fundantur prelis elisa falernis,
Terque lavet nostras spica cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis.
Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros:

Plauserunt) *Dederunt Deæ undique certa signa victoriæ.*

Hoc unum) *Defuit triumpho, quod Cleopatra non coacta sit die sibi constituto perire.*

Ductus erat) *Jugurtha Numidiæ Rex captus a C. Mario catenis Romam ductus est in triumphum.*

Actius &c.) *Ut Actiacæ victoriæ memoria superstes esset; urbem Nicopolim apud Actium condidit Augustus, templumque Apollini ædificavit celeberrimum: quod etiam Romæ fecit.*

Falernis) *Falernus ager est in Campania.*

Cilissa) *Quænam sit, lis est inter scriptores: eamdem esse ac spicam nardi, probabilius est.*

Bacche) *Vino vegetantur ingenia ad carmina facienda. Baccho etiam, & Phœbo erant sacra communia in Parnasso.*

Ille paludosos &c.) *Alter canat; Augustum vicisse Sicambros, Germaniæ populos ad utramque Rheni ripam positos, unde regiones palustres incolunt. Alter canat Meroen, quæ est insula maxima, quam alluit Nilus, & dicitur Cephea a Cepho Andromedes patre, qui in ea regnavit. Fusca regna sunt Æ-*

Cepheam Meroen, fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum fœdere Parthum:
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropæa suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas.
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

gyptus, Æthiopia, India &c. quorum incolarum vultus nigredine decolarantur.

Parthum) *Hic canat Parthum tardiore pace supplicem, & reddentem signa Romana, quæ Crasso eripuit.*

Nigra inter arenas) *Crassus pater, & Filius occisi inter arenas Assyriæ, quæ utpote pingues, & uberes, ideo nigræ.*

Sic noctem patera) *Ob Augusti victoriam vult usque in diem producere convivium.*

VI.

SOMNIUM narrat Poeta, quo sibi vidisse Cynthiæ uxoris umbram visus est: & quæ ab ipsa audierat, enarrat. Carpit autem eos, qui manes *nihil esse contendunt, nihilque post mortem superesse.*

VATIS SOMNIUM.

SUNT aliquid manes: letum non omnia finit.
Lucidaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Marmor ad extremæ nuper humata viæ.
Quum mihi ab exsequiis somnus penderet amarus:
Et quereret lecti frigida regna mei;
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem

Fulcro) *Lecto.*

Marmor ad &c.) *Humata ad extremum milliare,*

Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethæus triverat ora liquor:
Spirantesque animos, & vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus.
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
In te etiam vires somnus habere potest?
Non crepuit fixa me propter arundine custos,
Læsit & objectum tegula curta caput.
Fœderis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes.
Unum impetrassem, te revocante, diem.
Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; at illuc
Jussisses lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam grave erat nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto busta piare cado?

Solitum digito) *Et ignis, seu rogus, corruperat beryllon digito adsuetum. Et aqua Lethes, fluvii inferorum, quam mortui bibunt, ejus labra detriverat.*

Illi &c.) *Cynthia præ dolore fragiles palmas percussit.*

Non crepuit) *Locus hic difficilis admodum. Videtur poëta innuere Cynthiam conquerentem, quod nullus custos firma fistula ad ejus cadaver insonuisset, sicuti mos erat; & quod ejus caput pro pulvinis mollibus adpositum fuisset tegulæ fractæ.*

Fœderis) *Pudet me fœderis tui.*

At mihi &c.) *Nemo mihi pereunti clausit oculos. Te inclamante, obtinuissem a Plutone, ut unum saltem adhuc diem apud Superos me esse pateretur.*

Si piguit &c.) *Si piguit te extra portas Urbis egredi, meumque funus comitari ad sepulcrum: extra enim Urbem sepeliebantur.*

Lygdamus uratur: candescat lamina vernæ:
(Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salvas:
Ducet damnatas ignea testa manus.
Quæ modo per viles inspecta est publica noctes.
Hæc nunc aurata cyclade signat humum!
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta corollas,
Codicis immundi vincula sentit anus,
Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meæ conflavit imaginis aurum;

Al-

Lygdamus uratur.) *Igni devoveatur Lygdamus: videtur innuere Cynthia, Lygdamum veneno vitæ suæ insidiatum fuisse. Et lamina candescat ad cruciandum vernam, sive servum. Laminæ ardentes tormentorum genus apud veteres quibus servi inurebantur notis suorum scelerum.*

Nomas) *Est nomen veneficæ: hæc auferat sputa magica: & lamina ignita, seu testa, fateri coget veneno, cujus manibus scelestis mihi missum fuerit venenum.*

Per viles &c.] *Et quæ femina vulgaris, & vilis inspecta est per noctem, ut emi possit: nunc aurata cyclade, i. e. muliebri pretiosa veste verrit humum.*

Et graviora &c.) *Et si qua loquax laudaverit meam pulcritudinem, dum in vivis agerem, imponit ei pensa graviora injustis calathis.*

Petale &c.) *Nomen est vetulæ, quæ, eo quod meo flores adtulit tumulo, tetri codicis catenas patitur. Codex hoc loco est tormenti genus, idest ligneus stipes, quem ægre trahebant rei, & vincti insidebant.*

Lalage &c.) *Nomen cujusdam ancillæ, quæ a nova domina Propertii capillis in modum funis complexis suspensa torquetur.*

Meæ conflavit &c.) *Imaginem meam auream liquefecit.*

Ardeat e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti.
  Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
  Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem: si fallo, vipera nostris
  Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
  Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, altera Cressæ
  Portat mentitæ lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
  Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.
Qua numerosa fides, quaquæ æra rotunda Cybelles,
  Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque, & Hypermnestræ sine fraude maritæ
  Narrant historiæ corpora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur livere catenis
  Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestræ magnum ausas esse sorores
  In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitæ sanamus amores,
  Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.

O 5 Sed

eit, ut in aliam mutaret formam. Dolet umbra Cynthiæ, quod Propertius passus sit, suam effigiem au enm ab nova amica ipsius conflari: quia Cynthiæ rogo debebatur ejus imago aurea; quum pretiosissima quæque cum mortuis cremari solerent.

Molle sonet) *Leniter adlatret.*

Gemina est] *Duplex sedes apud inferos, piorum nempe, & impiorum.*

Cressæ) *Altera trahit lignea monstra, Cretensis Reginæ vaccam ementitæ; i. e. Pasiphaes.*

Qua numerosa fides] *Ubi cythara plurima modulantur, & ubi æra Cybeles, & plectra Lydia resonant.*

Andromedeque &c.] *De Andromede; & Hypermnestra, quarum mulierum virtutem, & animum virilem historiæ narrant, sæpe dictum est, & quæ passæ sint pro conjugii fide.*

Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris:
  Si te non totum Chloridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
  Parthenie patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab usu est,
  Nec speculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
  Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
  Mollia contortis adligat ossa comis.
Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis,
  Et numquam Herculeo numine pallet ebur
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
  Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra.
  Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
  Quum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat umbras,
  Errat, & abjectâ Cerberus ipse ferâ.
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti:
  Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.

Nunc

Chloridos &c.] *Veneficia, & philtra amatoria ex herbis confecta.*

Parthenie] *Nutrix Cynthiæ, quæ in Propertium animo fuit aperto & benefico.*

Latris) *Græce dictum, latine est* serva.

Pugnante corymbo] *Quæ mihi inimicis baccis teneros cineres implicitis ramis adligat.*

Herculeo) *Tibur Sabinorum oppidum Herculi fuit sacrum, summaque aeris clementia commendatum, ita ut ebur inibi non pallescat. Martial. lib. 4. epigr. 62. Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris, omnia dum fieri candida credis ibi.*

Portis) *Duas esse somniorum portas veteres dixerunt, corneam, & eburneam: quarum cornea veris, bonis, & piis; eburnea vero falsis somniis est adsignata. Æneid. lib. 6.*

Vectum &c.) *Charon lustrat numerum umbrarum, si aliqua desit.*

Nunc te possideant aliæ, mox sola tenebo:
Mecum eris, & mistis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub voce peregit;
Inter complexus excidit umbra meos.

VII.

CACUS pastor Aventini montis viribus ferox octo boves Herculis noctu prædatus abegit, eosque cauda aversos in antrum pertraxit, ne furtum vestigiis deprehenderetur. Hercules autem, quum partem gregis ab numero abesse sensisset, ad speluncam pervexit: sed quum vestigia foras versa vidisset, jam ab spelunca Caci discessurus raptas boves mugire audiit. Quare Hercules ad speluncam iter convertit, & Cacum clava percussit, bovesque recepit.

CACI FABULA.

AMPHITRYONIADES, qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad invictos, pecorosa palatia, montes:
Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro;
Per tria partitos qui dabat ora sonos.

O 6 Hic,

Amphitryoniades) *Hercules fuit filius Amphytrionis, & Alcmenæ: alii ad Jovem originem Herculis referunt: sed plures revera fuere Hercules.*
Erythea) *Est insula ad extremam Hispaniæ oram prope Gades, in qua Gerion regnavit, cujus armenta abegit Hercules.*
Pecorosa palatia) *Montem scilicet Palatinum.*
Velabra suo) *Vide pag. 176.*
Caco) *Cacus Vulcani fuit filius. Servius scribit, fuisse Evandri servum: hic Jovem Hospitalem violavit, qui hospitibus fidem servari jubet.*

Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Aversos cauda traxit in antra boves
Nec sine teste Deo furem sonuere Juvenci.
Furis & implacidas diruit ira fores,
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus, & Alcides sic ait: Ite boves,
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ;
Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boves.
Arvaque mugitu sancite boaria longo:
Nobile erit Romæ pascua nostra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
Terraque non ullas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas;
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineæ loca clausa Deæ, fontesque piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ.
Putris odorato luxerat igne casa.
Populus & longis ornabat frondibus ædem:
Multaque cantantes umbra tegebat aves,
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora Deo:
Vos precor o luci sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.

Fon-

Mænalio) *Clava excisa est a Mænalo, monte Arcadiæ. Pulsus tria tempora ramo Cacus, i. e. percussus Cacus triceps Herculis clavâ.*

Boaria longo) *Hoc ait Propertius, quasi forum Boarium, quod Romæ fuit, ab Herculis bobus, qui quondam in eodem loco pasti fuerunt, nuncupatum fuisset.*

Lucus &c] *Lucus ibi arboribus in gyrum consitis nemus efformarat. Lucus est locus religionis causa, nemus voluptatis.*

Femineæ &c.) *Dea feminea est Bona Dea, ad cujus templum viris nefas adire: ejusque fontes piandi forent, si vir inde bibisset.*

In siccam barbam) *Cujus barba multo pulvere congesta erat.*

Fontis egens erro, Circaque sonantia lymphis,
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui, sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?
Et numquam ad natas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
Accipite: hæc fesso vix mihi terra patet.
Quod si Junoni sacrum faceretis amaræ,
Non clausisset aquas ipsa Noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setæque Leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma;
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colu.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus:
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quæ se summota vindicat ara casa.

Ma-

Stygias) *Hercules infernas sedes, dum in vivis ageret, penetravit, & Cerberum domuit.*

Junoni sacrum) *Notum omnibus Junonis odium in Herculem, quam ipse vocat novercam: quia filius Jovis, cujus uxor est Juno, credebatur Hercules.*

Leonis) *Nemei leonis, quem occiderat, pellem pro veste gestabat Hercules, & clavam pro telis.*

Sidonia palla) *Non sine veste muliebri purpurea, quæ dicitur Sidonia. Sidone enim urbe Phœnicie pretiosa purpura tingebatur.*

Lyda colu) *Hercules quondam servilia ministeria exhibuit inter ancillas Omphales, Lydorum Reginæ, cui propter amorem serviens lanificium, colum, aliosque cultus femineos, & officia exercuit.*

Vindicat) *Hæc ara, i. e. ædicula in secessu posita sese tuetur viris interdicta, & gravis pœna sanctione expiatur.*

Magnam Tiresias adspexit Pallada vates.
  Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Dii tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
  Avia secreti liminis una fluit.
Sic anus. Ille humeris postes concussit opacos,
  Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At, postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
  Ponit vix siccis tristitia jura labris;
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
  Accipit: hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus devota est ara repertis;
  Ara per has, inquit, maxima facta manus.
Hæc nullis umquam pateat veneranda puellis,
  Herculis eximii nec sit inulta sitis.
Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno.
  Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,

Sic

Tiresias) *Exemplum adfert Tiresiæ vatis, qui dicitur excæcatus, quod Palladem lavantem adspexerit, quæ deposuit Gorgona, i. e. scutum, in quo erat incisum caput Gorgonis.*

Ponit vix) *Vix exsiccatis labiis leges tulit puellis amaras.*

Ara] *Hercules interfecto Caco aram erexit, quæ semper dicta est maxima. Ita Ovid. lib. 1. Fast. Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram, Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.*

Hæc nullis) *Ab hac ara maxima voluit Hercules arceri mulieres, quod sibi olim sitienti negassent aquam.*

Pater salve) *Poeta invocat Herculem, qui post mortem in cælum elatus Junoni reconciliatus est, cujus filiam Heben in cælo uxorem duxit, & librum suum commendat.*

Purgatum sanxerat orbem) *Quoniam Hercules orbem terrarum sua virtute a monstris sanctum, & purum reddiderat; Cures Tatii, i. e. Sabini, quorum urbs præcipua sunt Cures, ipsum sanctum constitue-*

Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

stituerunt. Hercules autem dicitur lingua sabina Sancus, *quod Latini dixere sanctus. Curibus regnavit Tatius, unde Cures Tatii.*

VIII.

UNDE Jupiter cognominatus sit Feretrius hac elegia docet Propertius. Alii sic dictum a feriendo putant, alii a ferendo; utrumque admittit poeta.

JOVIS FERETRII ἔτυμον.

NUNC Jovis incipiam caussas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo: sed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Hujus, & exuviis plenus ab hoste redis.

Tem-

Jovis Feretri) *Acronem Ceninensium ducem in prælio quum Romulus obtruncasset; spolia ex eo relata ferculo ad id facto in Capitolium detulit: ibique templum, quod primum fuit Romæ, Jovi consecravit, quem Feretrium nuncupavit, auctorque fuit posteris, ut ab hostibus opima spolia capta eo deferrentur. Opima spolia erant, quæ regibus, vel ducibus hostium in prælio cæsis sua manu detraherent duces, & in templo Jovis Feretrii suspenderent.*

Arma trina) *Prima opima spolia obtulit, & suspendit Romulus, Acrone interemto: secunda Cornelius Cossus, Tolumnio Etrusco occiso: tertia Claudius Marcellus, obtruncato Virdomaro Galllorum Rege: nec alii, dum Romanum stetit imperium, opima spolia retulisse leguntur.*

Imbuis) *Tu offers primus exemplum opimorum spoliorum, qui Acrona Ceninensium ducem, ut Sabinas mulieres raptas repeteret, in Romanos portas irruentem obtruncasti, urbem Ceninam cepisti, & Acronis spolia Jovi consecrasti.*

Tempore quo portas Ceninum Acrona petentem
  Victor in everfum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Cenina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris aufus sperare Quirini,
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
  Romulus: & votis occupat ante ratis.
Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
  Voverat: & spolium corruit ille Jovi.
Urbis, virtutisque parens sic vincere suevit,
  Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
  Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis cæde Tolumni,
  Vincere quum Vejos posse laboris erat.
Nec dum ultra Tiberim bellis sonus: ultima præda
  Nomentum, & captæ jugera pauca Coræ.
Et Veji veteres, & Volscum præda fuistis,
  Et vestro posita est aurea sella foro. Nunc

Qui tulit &c.) *Qui quamvis haberet africam, & tepidam domum; algida tamen castra toleravit.*
Cossus) *Aulus Cornelius Cossus Tribunus militum Lartem Tolumnium, Vejentium Regem, bello propria manu occidit: ejusque spolia solenni pompa Jovi Feretrio post Romulum obtulit. Livius lib. 4. Caussa belli fuit, quod Fidenates, colonia populi Romani, ad hunc Tolumnium, occisis Romanorum legatis, defecerant. Quare Roman ulturi injuriam bellum & Fidenatibus, & Vejentibus Tuscorum populis intulerunt; quamvis magni laboris erat posse Vejos debellare: nam non ultra Tiberim Romani bellum unquam protraxerant, nec ultra Nomentum, & Coram, parva quidem oppida prope Romam.*
Veji veteres) *Vos Veji, licet gens antiqua, & Volscorum regna, quamvis in aurea sella duces vestri jus dicerent; nunc, i. e post bellum cum Romanis, inibi pastor fistula canit, & arva metit agricula.*

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt:
Forte super parte dux Veïus adstitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab Urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait: Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit uterque gradu.
Di Latias juvare manus: desecta Tolumni
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius a Rheno trajectos arcuit hostes,
Belgica quum vasti parma relata ducis
Virdomari. Genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gæsa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine bracis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: caussa Feretri,
Omi-

Dux Veïus) *Lartes Tolumnius ad'ocutus est ducem Romanum Cossum.*

Vineaque) *De Vinea, machina bellica, & Ariete satis nota sunt, quæ adfert, Vegetius lib. 4. cap. 15.*

Lavit equos) *Tinxit Romanos equos.*

Claudius a Rheno &c.) *Claudius Marcellus Cos. Viridomarum, Gallorum Insubrium ducem, in prælio occidit: ac tertia opima spolia Jovi Feretrio obtulit. Non hic sermo est de Rheno Germaniæ fluvio, sed vel legendum est Eridano cum Passeratio, vel de Rheno, Italiæ fluvio, qui agrum Bononiensem irrigat; non enim tempestate Marcelli ad Germaniæ Rhenum fines suos protulerant Romani.*

Parma) *Scutum breve, ac rotundum.* Brocchiero, targa.

Virdomari) *Virdomarus, dux Gallorum, vel potius Gesatarum, qui fuerunt populi Galliæ Togatæ, quæ Æmilia dicta est (ubi nunc Bononia, Forum Cornelii, & Ravenna) qui dux insignis erat vibrandis gæsis, i. e. hastis longis e sublimi cursu. Gæsa vocabulum Gallicum.*

Illi virgatis) *Ipsi Virdomaro, cui virgatæ erant bracæ, ex agmine vibranti spicula torquis inflexa ex amputato collo decidit. A longis bracis dicta est Gallia Bracata.*

Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa su's humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

VIIII.

SUB nomine Corneliæ e vivis erepta scripta est hæc epistola ad L. Æmilium Paullum Censorem maritum: quem monet, ut a lacrimis, & querelis temperet, utpote nihil profuturis: ipsique filios, quos omnes reliquis superstites, commendat.

CORNELIA AD PAULLUM.

DESINE, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum.
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ;
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos. Ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic mæstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Pro-

Corneliæ) *Hæc Cornelia fuit filia Scriboniæ, quæ nupsit Augusto, eique filiam Juliam genuit: unde constat Juliam Augusti filiam, & hanc Corneliam ex eadem matre Scribonia fuisse sorores, ut mox in commentis.*

Litora surda] *Ripæ fluminum inferorum, quæ non modo surdescunt, sed omnium rerum oblivionem faciunt, ut Lethe.*

Portitor) *Charon, postquam accepit naulum, quod in ore mortuorum ponebatur; janua nigra occludit lividos manes.*

Tubæ) *Divitum funeribus adhibebantur tubæ, pauperum tibiæ.*

Detraheret lecto fax) *Intelligit rogum, quem ultima fax subjectis ignibus incendebat.*

Currus avorum) *Oriunda erat de gente Cornelia, ex qua duo Scipiones Africani cognominati.*

Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur, onus.
Damnatæ noctes, & vos, vada lenta paludes,
Et quæcumque meos implicat unda pedes.
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det Pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut, si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita judicet ossa pila.
Assideant fratres: juxta Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces: taceant Ixionis orbes:
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras:
Et jaceat tacita lapsa catena sera. Ipsa

En sum) *Significat, se esse redactam in cinerem, ita ut una manu possit gestari, & sustineri. Idem Propertius alibi: Maximaque in parva sustulit ossa manu.*

Noctes) *Sermonem convertit ad Infernas tenebras, & paludes Stygias, protestaturque se innoxiam, insontemque periisse.*

Pater) *Pluto.*

Æacus) *Jovis filius, judex inferorum. Urna notat sortionem, qua Judicum nomina, atque etiam suffragia in urna versabantur.*

Sortia pila) *Alludit ad consuetudinem Romanorum, qui sorte caussas ordinabant, ac sortitione nomina Judicum in pilis, seu calculis, & tabellis inscripta ducebant.*

Fratres] *Æaci fratres, & consiliarii, Minos scilicet, & Rhadamanthus.*

Juxta &c.) *Et circa Minois thronum tres Eumenides furiæ, quæ ante fores Orci sedent, appareant foro attento.*

Sisyphe) *Sisyphus, filius fuit Æoli, qui, quum Atticam latrociniis infestaret, a Theseo occisus est: eo ad inferos supplicio plectitur, ut, quum immane saxum in montis verticem volutet, quum ad summum extulerit, subito deorsum relabatur. De Ixione, de Tantalo, & de Cerbero dictum est sepius. Dicitur Tantalus, & Tantaleus.*

Ipsa loquor pro me: si fallo, pœna sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita decora tropæi,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones:
  Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
  Vinxit & acceptas altera vitta comas;
Jungor, Paulle, tuo sic discessura cubili.
  In lapide hoc uni nupta fuisse legat.
Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
  Sub quorum titulis Africa tunsa jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis;
  Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:
Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
  Labe mea vestros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
  Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est,

Vixi-

Sororum) *Belidum, seu Danaidum, quæ in inferis finguntur in pertusum dolium aquam immittere.*

Afra Regna) *Regna Africana, Carthago nimirum, & Numidia devictæ, testantur Scipiones duos dictos fuisse Africanos, & Numantinos. Hi Scipiones fuerunt Corneliæ majores paterni.*

Libones) *Corneliæ nimirum mater Scribonia dicebatur, quæ ex Libonum familia, & gente oriunda erat. E Scriboniorum gente erant Largi, Curiones, Drusi, Libones.*

Tonsa) *Prostrata.*

Persen) *Et testor Persen, seu Perseum, Regem Macedonum, quem devicit Paullus Æmilius, proavus meus, qui patriam tuam, o Achilles, devicit. Perseus jactabat avum suum Achillem.*

Me neque &c.) *Ego non maculavi honorem tuæ Censuræ, o Paulle, nec ob ullam crimen domum pudere adfeci.*

Non erat &c.) *Ego Cornelia non fui detrimento tantis triumphis.*

Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Nec possim melior judicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat urna tabellas,
Turpior assensu non erit ulla meo.
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybellem,
Claudia, turritæ rara ministra Deæ:
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput, mater Scribonia, læsi:
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis.
Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem In-

Utramque facem] *Inter facem nupțialem, & sepulcralem, hoc est toto connubii tempore.*

Quælibet &c.) *Quælibet urna ferat de me severum suffragium: nec fuit ulla femina, quæ mea consuetudine, ac familiaritate deterior facta fit.*

Claudia) *Claudia Vestalis, quum in nefandi criminis suspicionem venisset, ut innocentiam comprobaret, navem cum sacris omnibus, & simulacro Cybeles matris Deorum, quam multa hominum millia vado Tiberis adhærentem trahere non poterant, cingulo suo sola traxit. Cur Cybeles sit Dea turrita, dictum est sæpe.*

Vel cui &c.) *Æmilia vestalis virgo accusata, quod ejus incuria Vestæ ignis defecisset, Deam deprecata est, ut opem sibi ferre vellet: vestisque carbasinæ partem in aram frigidam injecit, quæ repente emicante flamma cœpit ardere.*

Scribonia) *Fuit mater Corneliæ hæc Scribonia, quam uxorem duxit Augustus: ex eaque Juliam filiam suscepit. Scribonia nupta fuerat duobus viris consularibus, & ex altero fuerat mater. Unde colligitur, Corneliam natam fuisse Scriboniæ ex viro illo consulari, ex quo fuit mater.*

Sua nata) *Augustus Corneliæ morti illacrimavit, eamque dignam prædicavit, quæ filia sua esset. Soror autem Juliæ, fuit Cornelia, quum ambæ ex matre Scribonia*

Increpat: & lacrimas vidimus ire Deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
  Nec mea de sterili facta rapina domo.
Te, Lapide, & te, Paulle, meum post fata levamen,
  (Condita sunt vestro lumina nostra sinu)
Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem:
  Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia tu speciem censuræ nacta paternæ,
  Fac teneas unum nos imitata virum.
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
  Solvitur, aucturis tot mea fata malis.
Hæc est feminei merces extrema triumphi;
  Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Et bene habet: numquam mater lugubria sumsi,
  Venit in exsequias tota caterva meas.

Nunc

bonia natæ, licet ex diverso patre.

Lacrimas ire Deo) *i.e. ab Augusti oculis lacrimas emanasse, qui Deus licet vivus, per adulationem dictus est.*

Vestis honores) *Vestem matronalem intelligit, quæ fecundis matronis concedebatur apud Romanos: vel loquitur de funere Censorio, quo elata fuit ipsa Cornelia Paulli Censoris uxor.*

Nec mea) *Neque præda mea fuit de familia infecunda.*

Lepide &c.) *Filios suos Paullum, & Lepidum (qui conjurarunt in Augustum: Suet. in August. cap. 19) in quorum amplexu Cornelia clausit oculos.*

Sellam geminasse curulem) *Significat Cornelia, fratrem suum consulem iterum fuisse renuntiatum eo tempore, quo præmatura morte functa est. Sella Curulis tribus magistratibus solummodo concedebatur, Ædili, Prætori, Consuli.*

Filia &c.) *Denotat Paullum conjugem suum fuisse Censorem, cujus dignitatem, ac leges ut adamussim observet sua filia, unum ipsi tantum optat maritum.*

Serie &c.) *Vos longa filiorum serie gentem nostram fulcite. Mihi non invitæ Charontis cymba solvitur, malis tot mea fata adducturis.*

Feminei triumphi) *Post mortem celebritas famæ, ac laudatio in funere, mulieribus est triumphi loco.*

Nunc tibi commendo, communia pignora, natos,
Hæc cura & cineri ſpirat inuſta meo.
Fungere maternis vicibus, pater illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oſcula quum dederis tua flentibus; adjice matris.
Tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.
Et ſi quid doliturus eris, ſine teſtibus illis:
Quum venient, ſiccis oſcula falle genis.
Sat tibi ſint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:
Somniaque in faciem credita ſæpe meam.
Atque ubi ſecreto noſtra ad ſimulacra loqueris,
Ut reſponſuræ ſingula verba jace.
Seu tamen adverſum mutarit janua lectum:
Sederit & noſtro cauta noverca toro;
Conjugium, pueri, laudato, & ferte paternum:
Capta dabit veſtris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
Vertet in offenſas libera verba ſuas.
Seu memor ille mea contentus manſerit umbra,
Et tanti cineres duxerit eſſe meos;
Diſcite venturam jam nunc ſentire ſenectam:
Cælibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum eſt; veſtros accedat ad annos,
Prole mea Paullum ſic juvat eſſe ſenem
Cauſſa perorata eſt: flentes me, ſurgite teſtes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus.

Mo-

Sat tibi ſint noctes) *Sufficiant tibi noctes, Paulle, quas mea cauſſa male habeas, & nocturna ſimulacra in ſomnis meam figuram imitantia, quibus fidem ſæpe præſtas.*

Adverſum) *Lectum noverealem voct adverſum, quia fere ſemper noverca inimica eſt privignis.*

Diſcite &c.) *Ex hoc etiam tempore adſueſcite patris obſequio, quem querulum, moroſum, & difficilem reddet ſenectus: nullus modus officii prætereat eur curandi patrem veſtrum ſenem, & cælibem.*

Humus) *Humus hic ponitur pro patria, & honore ſepulturæ e quaſi exſequiarum pompa ſit defunctis pretium, & merces vitæ:*

Moribus & cælum patuit: ſim digna merendo
Cujus honoratis oſſa vehantur equis.

Moribus & cælum patuit] *Bonis moribus ad cælum via aperitur: & meis meritis ſim digna.*

Honoratis equis) *Honoratos vocat equos, magno ornatu funeris decoratos, quibus efferri proceres, & magnates conſueverunt: alii legunt, honoratis aquis, per quas Charon matronarum manes vehit in Elyſium.*

FINIS.

Si quæ ſunt errata feſtinantibus præter modum prelis humaniſſimus Lectos condonabit.